




P.h.2.
a - 2 3

C 418

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

a -

C 418

Incipit

subuentioni
in debeat.
per auctorem ipsi

sunt anno
ad explic
es locos.

••

E:

44 46

1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100
 101
 102
 103
 104
 105
 106
 107
 108
 109
 110
 111
 112
 113
 114
 115
 116
 117
 118
 119
 120
 121
 122
 123
 124
 125
 126
 127
 128
 129
 130
 131
 132
 133
 134
 135
 136
 137
 138
 139
 140
 141
 142
 143
 144
 145
 146
 147
 148
 149
 150
 151
 152
 153
 154
 155
 156
 157
 158
 159
 160
 161
 162
 163
 164
 165
 166
 167
 168
 169
 170
 171
 172
 173
 174
 175
 176
 177
 178
 179
 180
 181
 182
 183
 184
 185
 186
 187
 188
 189
 190
 191
 192
 193
 194
 195
 196
 197
 198
 199
 200
 201
 202
 203
 204
 205
 206
 207
 208
 209
 210
 211
 212
 213
 214
 215
 216
 217
 218
 219
 220
 221
 222
 223
 224
 225
 226
 227
 228
 229
 230
 231
 232
 233
 234
 235
 236
 237
 238
 239
 240
 241
 242
 243
 244
 245
 246
 247
 248
 249
 250
 251
 252
 253
 254
 255
 256
 257
 258
 259
 260
 261
 262
 263
 264
 265
 266
 267
 268
 269
 270
 271
 272
 273
 274
 275
 276
 277
 278
 279
 280
 281
 282
 283
 284
 285
 286
 287
 288
 289
 290
 291
 292
 293
 294
 295
 296
 297
 298
 299
 300
 301
 302
 303
 304
 305
 306
 307
 308
 309
 310
 311
 312
 313
 314
 315
 316
 317
 318
 319
 320
 321
 322
 323
 324
 325
 326
 327
 328
 329
 330
 331
 332
 333
 334
 335
 336
 337
 338
 339
 340
 341
 342
 343
 344
 345
 346
 347
 348
 349
 350
 351
 352
 353
 354
 355
 356
 357
 358
 359
 360
 361
 362
 363
 364
 365
 366
 367
 368
 369
 370
 371
 372
 373
 374
 375
 376
 377
 378
 379
 380
 381
 382
 383
 384
 385
 386
 387
 388
 389
 390
 391
 392
 393
 394
 395
 396
 397
 398
 399
 400
 401
 402
 403
 404
 405
 406
 407
 408
 409
 410
 411
 412
 413
 414
 415
 416
 417
 418
 419
 420
 421
 422
 423
 424
 425
 426
 427
 428
 429
 430
 431
 432
 433
 434
 435
 436
 437
 438
 439
 440
 441
 442
 443
 444
 445
 446
 447
 448
 449
 450
 451
 452
 453
 454
 455
 456
 457
 458
 459
 460
 461
 462
 463
 464
 465
 466
 467
 468
 469
 470
 471
 472
 473
 474
 475
 476
 477
 478
 479
 480
 481
 482
 483
 484
 485
 486
 487
 488
 489
 490
 491
 492
 493
 494
 495
 496
 497
 498
 499
 500
 501
 502
 503
 504
 505
 506
 507
 508
 509
 510
 511
 512
 513
 514
 515
 516
 517
 518
 519
 520
 521
 522
 523
 524
 525


 IOANNIS LODOVICI
VIVIS VALENTINI DE SUB-
VENTIONE pauperum, Siue de huma-
nis necessitatibus Libri duo.
Ad Senatum Brugenſem.

Prior de ſubventione priuata, quid
vnumquęq; facere oporteat.

Alter de ſubventione publica, quid ci-
uitatem deceat.
Ab aũthore ipſo recogniti.

Additæ ſunt annotatiunculæ in calce
libri, ad explicandos aliquot diffi-
ciliores locos. Habes etiã indicem
in fine.

PARISIIS
Ex officina Simonis Colinaei.
1 5 3 0



*hic lib. fuit Guil. Frousteau Antecox.
Ourel. nunc est uetus studiosiorum*

✠ IOANNES LODOVICVS VIVES
Consulibus & Senatui Brugenſi SALVTEM.



Pergrini & aduene officium eſſe tradit Cicero, in aliena republica non eſſe curioſum. Ita eſt, nam in res alienas curioſitas ubique eſt odioſa: cura & amica admonitio non improbat. Quamquam neq; naturæ lex alienum ab homine quicquam ſinit eſſe, quod ſit hominum: & CHRISTI gratia velut tenaciſſimum glutinum homines omnes inter ſe copulauit. Et ut ſit alienum aliquid, ego vero ſic in ciuitatem hanc afficior, ut in Valentiam meā, nec aliter hanc nomino quam patriā: cuius iam quatuordecim annis ſum incola, etſi non cōtinenter, ſemper tamen huc ſum ſolitus redire tanquam ad domū. Placuit ratio adminiſtrationis veſtræ, educatio, comitas ac ciuilitas populi huius, & incredibilis in eo quies ac iuſtitia per gentes celebrata. Itaq; & uxorem hic duxi: nec ſecus hinc ciuitati conſultum veſtim, quam ei, in quā, quod vitæ reliquum CHRISTI benignitas fecerit, traducere ſtatuerim: meq; pro ciue eius duco, atque in ciues eo ſum animo quo in fratres. Et multorum ex illis indigentia ad ſcribendum me impulerunt, quemadmodum poſſe eis ſubueniri cenſeam: quod etiam ut facerem, iam pridem in Anglia rogatus eram à Lodouico domino Pratenſi præfecto veſtro, qui de publico ciuitatis huius bono, proinde ac debet, multum & ſæpe cogitat. Vobis hoc

opus inscribitur: tum quod ad benefaciendum & subleuandos miseros vehementer estis propensi, quod declarat tanta inopum multitudo, quæ huc vndique affluit tanquam ad paratum egenis subsidium: tum etiam quod quum ea sit origo ciuitatum omnium, vt esset vnæquæq; earum locus, in quo dandis atque accipiendis beneficijs & mutua subuentione coalesceret charitas & firmaretur societas hominum. administratorum ciuitatis illud debet esse munus: curare & anniti, vt alij alijs auxilio sint, nemo prematur, nemo grauetur damno per iniuriam accepto: & imbecilliori adsit potentior, vt per concordiam cætus & congregationis ciuium charitate augetur in dies ac semper eterna perseueret. Et quemadmodum patrifamilie turpe est in opulenta sua domo sinere aliquem esurire, aut nuditate vel pannis fœdari, sic non conuenit vt in vrbe haud prorsus inope magistratus ferant ciues vltos fame & miseria vrgeri. Ne pigeat hæc legere: aut si non libet, certe rem ipsam accurate

tissime expendere: qui tam solliciti cognoscitis de lite hominis priuati, in qua sint mille floreni controuersi: opto vobis ve

stræq; ciuitati
prospera
om-

nia & felicia.

Brugis sexto Ianuarij.

M. D. XXVI.

IOANNIS LODOVICI
CI VIVIS DE SVBVENTIONE
pauperum, sine de humanis necessitatibus Lib. I.

ORIGO HVMANAE NECESSI-
tatis ac miserie.



Arens ille rerum omnium deus
in condendo ac instruendo ho-
mine, mirifica est usus indul-
gentia, vt nihil vel presta-
bilius sub caelis esset, vel ma-
ius, subdito ei dum hic vive-
ret, sub lunari orbe, sano &
valenti corpore, saluberrimis alimentis & ubique ob-
uijs, mente acutissima, animo probissimo, factus atq;
appositus ad communionem vite. vt quoniam ad re-
parationem celestis illius ruina creabatur, iam tum
in hoc mortali corpore inciperet diuinam illam so-
cietatem meditari. sed ipse superbia instigatus altio-
ra conditione sua querens non contentus excellentis-
sima humanitate diuinitatem affectauit, impulsus il-
lius promissis, qui ipse sua bona simili via perdidit-
set, eritis sicut dii scientes bonum & malum. hoc est
absoluta superbia contendere ad numinis fastigium,
supra quod iam nihil est. tantumq; abfuit, vt quod
concupierat assequeretur, vt etiam ex eo quod acce-
perat, largiter amitteret. de quo scriptum est in can-
ticis Dauidis regis, Homo quoniam in honore esset, non in-
a. iij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

tellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: videlicet sic à dei similitudine recessit, ut in similitudinem bestiarum relaberetur. & dum plus esse conatur quam angelus, minus fuit quam homo. sicut, qui in ascensu non observatis gradibus inconsiderantius properat, pro summo loco quem petunt, ad imum devoluuntur. Hinc inuersus ordo humana constitutionis, quandoquidem ille suus erga deum dissoluerat, ut nec affectus rationi pareretur, nec corpus animo, nec externa internis, civili ac intestino dissidio, sublata principis & legum reuerentia. Homo ipse innocentia exutus, omnia secum in exitium rapuit, retusa est mens, obscurata ratio, superbia, inuidia, odium, senectia, cupiditates multiformes & perturbationes reliquæ cœu tempestates quædam excitatæ undis austro percitis, dissoluta fides, refrigeratus amor omnia vitia velut facto agmine irruerunt, simul afflictum corpus, & dira ille, maledicta terra in opere tuo, ad omnia in quæ humana diligentia exercenda erat, sese diffuderunt. ut nihil nec intrarium sit nec extrarium, quod non in corporis perniciem videatur conspirasse. In aere fœdi ac pestilentes halitus, insalubres aquæ, periculosa navigatio, molesta hyems, molestus fœnor, tot feræ noxiæ, tot ex cibis morbi, quis enumeret venenorum genera & artes maleficas: mutuam hominum perniciem, tot machinas contra arcem tam imbecillam, quam acinus vna aut etiam vinacius heres gutturi strangulet, vel capillus haustus, quibusdam incertis de causis subito absumptis.

NECESSITATES HOMINVM.

VT non immerito veterum multi non vitam ² hanc nostram esse dixerint, sed mortem, gratia corpus hoc nostrum σῶμα nominarint quasi σῶμα quod illis sepulchrum significat. Videlicet comminatus erat Adā dominus, quocumque die de vetito fructu gustasset, moriturum eum. gustauit, & mors consecuta est. Nam quid aliud est hæc vita quam continua quedam mors? quæ perficitur quum penitus de corpore isto animus liberatur. Nascentes, inquit ille, morimur, finisq; ab origine pendet. Nam ex quo primum homo in hanc lucē prodit, luētatur animus cum corpore, deserturus, nisi subinde alimonia tanquam medicina quapiam ægrum hoc corpus reficeretur. in hoc enim sunt à deo cibi procreati, vt essent ceu tigni & tibicines, qui caducum istud ædificium & in mortem semper tendens fulcirent: quorum alios fundit terra arboribus, arbutis, herbis, radicibus. alios in vsum nostrum pascit, vt pecudes. Sunt quos piscamur ex aqua: alios ex aere aucupamur. Hinc contra vim frigoris defendimur pellibus, panno, igne. & ab æstu nos tuemur vmbraculis. Nullus tam est vel corpore validus vel acer ingenio, qui si humano more ac modo victurus sit, sibi vnus sufficiat. ergo vxorem sibi adiungit prolis gratia, & ad conseruandum parta, vt est meticulosus sexus ille natura & tenax, Dein socios laborum asciscit, quibus bene vult, & quatenus potest, benefacere studet. gliscit amor, & societas paulatim, ac foras serpit. Dumq; alij alijs sunt astricti

Alimen-
ta. 
Vxor

a. iij.

officijs ac beneficentia, amor iam non intra eundem
 larem & focum continetur, verum beneficio affectus
 gratiam habet. & si qua detur, compensare non negli-
 git. Nihil enim magis natura odit, quam ingrati ani-
 mum, quæ etiam bestijs feris, vt elephantis, leonibus,
 draconibus, gratitudinis sensum, & beneficij memo-
 riam quandam indiderit. Iam hoc videbatur condu-
 cible & incundum, si illi qui inter se communicandis
 beneficijs optime cuperent, vt se mutuo adiuvarent,
 casas & habitacula in propinquum conferrent, ne in
 rebus subitis deessent, quibus vellent subuentum. pro-
 ximus ager est ab illis occupatus: & sibi quisque mu-
 nus, quo sibi atq; alijs prodesset, vltro desumpsit, ad
 quod maxime fictus appositusq; videbatur: piscatio-
 nem alij, alij aucupium, agriculturam, pasturam, te-
 xturam, ædificationem, aut eiusmodi ad victum per-
 tinentia. Hactenus quidem pulchre illi & concordi-
 ter inter se agitabāt, sed autum malum non paucos
 Super- vexavit alijs præeminendi, imò vero premendi, vt
 bia. otiosi & honorati alienis laboribus fruerentur, cete-
 ri imperata facerent: ipsi regno & potentia conspi-
 cui, stipati manu eorum quos vel arte vel metu in
 consensum tyrannidis suæ pertraxissent, hoc ex am-
 bitione illa proanthorum est natum, qua sibi spem di-
 uinitatis præsumperant, vtq; nec nostra dominan-
 di libido alium terminum quam diuinitatis accipit,
 3 quod ostendit furiosus ille iuuenis Macedo, quum pa-
 rum fecisse sibi videretur, q̃ hunc terrarum orbem
 possideret, tametsi melior ei pars restabat expugnan

da. Hinc acceptæ leges æquæ omnibus, & hæ per violentiam imperantium corruptæ, & muri additi ciuitatibus, & bellum tum ciuile, tum externum, quod omne pestis genus exuperat. Hic iam humana & desideria, & arrogantia, & inopia occurri cœptum, quum aucto hominum genere, alij non haberent, vnde se sustentaret, alij inertes de alienis operibus victum postulare. Ergo primum omnium agri qui ciuitati circumiacerent, ciuibus inter se, vt expediebat, distributi, & limites additi consecrati legibus. Et quoniam rerum permutatio, quæ apud seculum priscum in vsu fuerat, parum visa est commoda, numus excogitatus est publica forma tanquam tessera, qua ciuitatis fide & à cerdone calceos quisq; acciperet, & à pistore panem, & à textore pannum: ea materia impressum signum, quæ solida firmaq; facile quod impressum esset retineret, nec inter contrectantium digitos consumeretur: & quæ nec copia vilesceret, nec esset inuentu rara. initio æs fuit, hinc argentum, postremo aurum conciliante etiam pretium his metallis nature virtute, qua dicuntur valere. Hi numi à primo aliquamulti cusi, & diuisi per ciues, vt quisq; negotiaretur: daret pro alienis laboribus aut rebus, vicissim pro suis acciperet. hoc modo facultates vite honesto exercitamento cōseruaret, & libratis per mutuas commutationes ciuitatis officijs, res unicuiq; sua consisteret. Verum multi casus interueniunt. Alij agitudine corporum ab opere cessantes, expendendis & non accipiendis pecunijs in egestatem recidunt. idem

Numus

Casus

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

ijs accidit, qui bello aut aliqua ingenti calamitate sua
 perdidērunt: cuiusmodi permultas in hoc turbulento
 orbe positis necesse est contingere: velut incēdia, elu
 niones, ruinas, naufragia: sunt quorum ars quæstiosa
 esse desinit. prætereo, qui patrimonia abliguerunt
 turpiter, aut per stultitiam prodegerunt: deniq; quæ
 rende & conseruande rei multæ sunt viæ, amitten
 da fortassis haud pauciores. Hæc quidem in exter
 nis, quæ quod incerta voluerentur lege, hoc est huma
 nis mentibus incognita, fortuita veteres nuncupa
 ta runt: prospectum etiam misera & affecto corpori, vt
 Corpus remedijs per experimenta quæsitis iuuaretur, & eo
 rum quibus esset charus, animus æger subleuaretur al
 loquijs, atq; obsequijs. Dein magistri rudi etati adhi
 biti, qui vitam formarent, virtutis iter ostenderēt,
 consilium regerent. primum suus cuique pater: hinc
 mater, nutrices, nutritij, patrui, auunculi, & qui lon
 gius egrediuntur, & minus arcto sanguinis vinculo
 constringuntur. Ad hæc scholæ & magistri sapientiæ,
 multaq; in hoc à maximis viris relicta monumenta.
 Sed remedia procul quærenda sunt, aut ignota, aut
 magno parāda, aut vtēdi modus incognitus: in quæis
 omnibus aliena indigemus opera. Et in ingenij cultu
 sunt quibus magister non contigit: alios corrumpit ma
 gister ipse corruptus, vt populus magnus erroris do
 ctor: & vicinus vicino, & pater filio author & index
 est prauæ opinionis: multi etiam institutores stolidis
 & deprauatis indicijs, quibus anseres nolis credere, lu
 dos ingenuorum puerorum regunt. Alij præceptorem

aspersa omni cecitate consilij sui per præcepta feruntur, dum nullum admittunt ducem, aut ceciores sibi deligunt. Ita totus interne ac externe inops factus homo, iustissimo premio operis, quod susceperat, diuinitatis usurpanda. Contusa est superbia elatissimi animantis. ut nihil sit eo infirmius nec quod minus per se valeat. Tota eius vita & salus in aliorum auxilijs sita est: tum ad reprimendam superbiam radicem, quæ per authores generis ad posteros transfertur. Tum etiam peculiariter occultis dei consilijs, ut alijs desit pecunia, alijs sanitas, vel ingenium, prauæ vsuris, alijs inopia hæc instrumentum est magnarum virtutum: omnia enim ad utilitates nostras refert princeps ille & rector mundi huius, sapientissimus pater ac indulgentissimus. Quisquis ergo aliena ope indiget, pauper est, & ei misericordia est opus, quæ Pauper græce eleemosyna dicitur, non in sola pecuniæ erogatione sita, ut vulgus putat, sed in omni opere, quo humana indigentia subleuatur.

QVÆ SIT BENEFACIENDI ratio.

Sed ut sciat quisque, qui sit beneficiorum ordo & quomodo vel accipiendum beneficium vel dandum, & quanta cuique habenda sit gratia, declarabo: quænam sint beneficia præcipua, & tanquam primæ notæ, quæ proxima, quæ tertia. Nam quidam nihil indicant dari aliud aut accipi, vel esse omnino beneficium, quam pecuniam. Hinc illa vulgaria, quid profuit? quid inuit? nihil dedit: multum profuit, nam de-

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

dit, aut quæ ad pecuniam parandam spectant: ut si quis artem quæstuosam docuerit, aut consilium lucrosum dederit. In quo peccant multi, qui dum in consilio dando, toto animo ac cogitatione pecuniam intuentur, bonæ mentis & virtutis obliniscuntur. Verum nos quum ex animo constemus & corpore, in utroque horum hæc habemus siue bona libet appellare, seu commoda. **Virtus** mum in animo est virtus unicum ac verum bonum, hinc ingenium, acumen, eruditio, consilium prudentia. Tum in corpore bona valetudo, ut menti seruiat, & vires quæ laboribus vitæ sufficiant. Postremo in externis pecuniæ, possessiones, facultates, victus. Precipuum & summum beneficium est, si quis virtutem cuiusquam adiuvet. Ita plurimum omnium debent deo, non quibus contingit nobilitas, forma, opes, ingenium, gloria: sed quibus ille dignatus est impartiri suum spiritum ad cognoscenda & exequenda, quæ sancta & salutaria sint, hoc est quæ ipsi placeant: de quo munere legimus in psalmo CXLVII. Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis. Hoc est ingens illud beneficium, quod **CHRISTVS** in eos confert, qui per nomen ipsius vere baptizati sunt, & illi uni fidunt. Huius beneficii administri & cœu dispensatores fuerunt eius discipuli, optime de genere humano meriti: & deinceps quotquot apostolis non tam dignitate succedunt, quam functione ac operibus. Pro hoc munere incredibile dicitur, quantam debeamus gratiam. Hoc est bonum illud

quod vnusquisq; optare debet cuicunq; alij mortali,
 & quatenus fieri possit consilio, diligentia, opera pro-
 curare. Post virtutem eruditio sequitur, tendens ad **Erudi-**
 cognitionē virtutis, per quam homo homini tanquam **tio.**
 de suo lumine lumen accendit, nec communicatione
 minuitur, sed augetur. Quā pulchrum est ac magni-
 ficum celsissimam omnium mentem erudire, expoli-
 re, instruere, ornare? Negat Socrates habiturum se
 ei gratiam, qui pecuniam dedisset sed maximam il-
 li, à quo esset incititia liberatus: & sanctus Iob in ege-
 state & sordibus abiectus, non dona à potentibus ami-
 cis requirit, tantum doceri se orat, Nunquid dixi af-
 ferre mihi? & de substantia vestra donate mihi? vel
 liberate me de manu hostis, de manu potentum erui-
 te me? docete me & ego tacebo: & si quid forte igno-
 rui, instituite me. Sordidi isti qui datam pecuniā tan-
 toperè imputant, & aliena se studia sustentasse ia-
 Etitant, doceant ipsi, tunc vtcunq; erit, vnde meri-
 to queant gloriari. Aristoteles præceptorum benefi-
 cium cum diuino & parentum ponit: quis tribus æqua
 gratia, inquit, rependi non potest. Indicibile est quan-
 toperè magni & eruditi viri reipublicæ prodesse-
 nt, si non grauarētur vel ipsi munus suscipere instituen-
 de pueritiæ ad omnia sequacis, & in quam multo fa-
 cillimum est rectas opiniones instillare. vel certe eis
 qui docēt, non deesse monitis, præceptis, & adiuven-
 tis eiusmodi, & tanquam viam digito præmonstrare:
 certe rectores ciuitatū decet non esse in hoc segnes,
 quin optimos ludi magistros prospiciant suis pueris

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

præditos non modo ingenio ac eruditione, verum etiam
iudicio sincero & sano: nam in illa puerili institutio-
ne magna vis est ad reliquam omnem vitam, quemad-
modum in seminibus ad fruges vêturas: profecto in
hoc expediret accuratius incumbere, quàm in ornan-
da vrbe aut locupletâda: nisi forte putamus non tur-
pe esse malos posteros relinquere, modo & diuites. Iam
animos componere ac sedare quod fit partim præce-
ptis virtutis, partim alloquijs, consolationibus, sola-
tijs, visitatione, obsequijs. Præterea tueri corpora,
quantum & quàm amplum munus censetur? vnde li-
beratorum & seruatorum nomina reperta & tot olim
coronæ excogitate virtutis signum, ac gloriæ grami-
nea ei, qui cinem in acie seruasset: querna ei, qui ab ob-
sisione liberaffet, & medicina magno in pretio habi-
ta: & ad deorum inuentionem relata. Vir medicus, in-
quit Homerus, multorum virorum est instar: & domi-
nus iubet honorari medicum. Quantum etiam ex car-
cere & captiuitate redimere? Terentius Culeo sena-
tor liberatus è Carthaginensi carcere à Scipione A-
fricano, per reliquâ vitam non aliter eum obseruauit,
ac coluit quàm dominum, triumphumq; illius nudo ca-
pite prosecutus est. Olim honoratissimum erat capti-
uos de suo redimere, etiam apud gentes, quod Cice-
ro in officijs testatur: Et quo magis erga principem
tandem beneficentissimum afficeretur populus, in-
uentum, vt eius inauguratione vinculis & custodia
Pecunia detenti soluerentur. Vltimus fere locus pecuniæ re-
lictus: hac etiam inuare liberale ac honestum, in quo

est mirifica dulcedo: nam vt Aristoteles & Cicero & ceteri docent philosophi, pulchrius ac incundius est dare quàm accipere. idq; dominus sententia sua com **Dare** probauit. vt testatur Paulus in actis apostolorum, Iuxta verbum, inquit, domini, beatius est dare quàm accipere. gustata liberalitatis voluptate non possumus ab ea detereri, quandiu suppetit, quod detur. etiã si non suppetat, vel per rapinam queritur: quod declararunt multi, qui eripiebant alijs, quod alijs darent. vt Alexander, Sylla, Cæsar. Idcirco vetere pro-
 uerbio dictum est, largitionem fundum non habere, vel dare ijs, quos ingratos nonimus, delectat: tãtũ quia damus. est enim æmulatio quædam diuinæ conditionis & naturæ, vt alij nostra ope videantur indigere, non nos illorum, & tanquam manus atq; auxilium nostrũ spectent: de deo enim dicitur in psalmis. Dixi domino deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges: & alio loco, Omnia ad te spectant domine, vt tu des sibi escam in tẽpore opportuno. Aperis tu manu tuam, & imples omne animal benedictione. In quo ille est maximus quorũdã error, vt alios spoliẽt, quod dent alijs: quale enim est per iniuriam benefacere? certe eam gratiam non assequuntur, quam captant, nam cui placet obliuiscitur, cui dolet meminit: & dum volunt potentes videri, cogũtur minimorum opem implorare. vt iam vulgo dicatur, magnus princeps, magnus mēdicus. Sed hæc dixi, vt declararem, quãta esset in dando dulcedo, vt ea sola posset adandum pellicere vel alia omni vtilitate seposita: ergo

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

quemadmodū non soli victui subueniendum est, quum totus vndiqz homo auxilio indigeat, sic nec beneficia nostra sola pecunia concludenda: benefaciendum ijs, quæ sunt in animo, votis, consilio, prudentia, præceptis vitæ: & quæ in corpore, præsentia corporum, verbis, viribus, labore, procuratione: & externis, dignitate, authoritate, gratia, amicitijs, pecunia: sub qua, ea sunt mihi comprehensa, quæ pecunia comparantur: quacumqz re quis possit, inuet & profit illis, qui indigent, nemini quantum in se est noceat, nisi hac via bono illi primo hoc est probitati vtilitatem adferat, sed neqz hoc nocere nominabitur, non enim dandum cuique est quod expetit, sed quod ei expedit, in quo necesse est eum omni perturbatione animi vacare, qui hoc indicaturus est.

QVO'D SECVNDVM NATVRAM sit benefacere.

Verum hominis, & quia facti eū puduit, & quia impulsus fuerat astuti hostis suasis, clementissimus dominus misertus est, reseruantqz illi locū, quem prius destinarat, sed duriore iam conditione assequendum. Et in hac vita alios alijs charitate quadam opitulari voluit. primum vt amore illo inciperent iam nunc ad celestem sese ciuitatem præparare, in qua nihil est aliud, quàm perpetuus amor, & indissolubilis concordia. Præterea hominem in societate & communione vitæ acturum, animo prauum, & inquinata origine superbū indigere alterius ope deus voluit: alioqui nunquam futura inter eos societas,

vel diuturna, vel fida: vnusquisq; enim arrogãtia indita & prono in malum ingenio aspernaretur sociũ, ac defereret, nisi cõtineretur metu, & futurum esset vt aliquando eo indigeret. Quippe neminem sic euexit fortune fauor, quin ad implorandam inferioris opem vel inuitum deiiciat, imò vero ille fortune fauor sine morum ope vel non paratur, vel non conseruatur: documento sunt magni reges quorum potẽtia subditis innititur, corruitura ilico, si eam hi destituant. Quis puer aut vetula ignorat, maxima imperia consensu firmari? quæ nulla penitus futura sint, si nemo pareat. Nec illa profecto respublica stare diu potest, in qua vnusquisq; sua modo & amicorũ curat, nemo communia. Sine vnus voluntate regantur omnia, quæ dicitur monarchia: siue pauci administrent, quæ oligarchia: siue populi sit potestas suprema atq; imperium, quæ democratia, iusta respublica & salutare est imperium, si ad publicas vtilitates curæ & consilia regentium referantur, sin ad se quisq; quantum astu, arte, potentia, valuerit, trahat, tyrannus est etiam populus sui ipsius, nec diutine libertatem & potentiam retinet: sed breui in ius & arbitriũ alienum seruus pertrahitur. Quod duæ potentissimæ gentes declararunt, Romana & Atheniens. & declarabunt, quotcunq; tales habent cines, qui se, quàm suam patriam, magnos & potentes esse malint. Verum nature sic videtur gratia referri: si quum multis ipsi adiutoribus egeamus, multis etiam adiunẽto simus. Itaq; ea cupiditas mirifice est humanis pectõribus inedi-

b.j.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

ficata, vt generosi animi benefacere quamplurimis,
 & inuare velint: nihilq; honestius aut praestantius ar-
 bitrentur: idq; sine vlla sui vtilitate, etiam cum in-
 genti vel fortunarum vel vitae dispendio: quae omnia
 complures magno atq; excelsso animo viri aestimarunt
 vilia, dum subleuarent oppressos, subuenirent inopi-
 bus, confirmarent infirmos, afflictis opem ac solacium
 afferrent: consecutaq; sunt eos grandia praemia, vt
 immortalitate censerentur digni: nimirum non igno-
 ravit vetustas illa maxime diuinum esse benefacere.
 Quid de bonis viris loquor? quum Piratae & latrones,
 qui praedandi cupidine maria & terras inquietant, vi-
 deri tamen velint nonnullis profuisse, & potuisse in-
 gulare aliquos, quos conseruarint: nam hoc est maxi-
 mum latronis beneficium. Militares homines natura
 iactabundi fortitudinem suam non imputant, nisi qd
 in commune ceu praesidium quoddam proffit. Quocirca
 nulla res magis debet cogitationes hominum exacue-
 re, atq; excitare, quam studium alijs benefaciendi,
 siue qd is iussit, cuius praceptorum amplissima est mer-
 ces, siue qd aliter societates hominum nequeunt sta-
 re, siue inhumane & contra naturam existimandum
 est, non subuenire quibus possis, siue quod hac via alij
 alijs beneficium in commune reponunt, si potentior
 infirmiori adsit: postremo vnumqueng; conuenit ad-
 monitu communis sortis huc adduci.

Q VIBVS DE CAVSSIS QVI-

dam à benefaciendo deterrentur.

Sed duae causae sunt, quibus potissimum benefi-

centia nostra restringitur: vel quia profuturos nob
 alijs non putamus, vel quia obfuturos nobis ipsis, aut
 ijs, quos habemus charos. vt liberis, propinquis, neces
 sarijs: existimamus non prodesse quod datur malo, &
 ingratitude vehementer offendimur. Tum ita nos
 tenere diligimus, vt non audeamus benefacere, ne
 quid ea res nobis noceat. Dicā prius de inopibus, hinc
 de ijs, quibus opes adsunt. Nihil est virtute amabi
 lius, nihil quod ad se validius homines pelliciat, q̃
 species illa honestatis: contra fœdus nihil est vitio,
 aut quod citius intuentes abs se cum abominatione
 avertat. Ergo iuxta veteres illos versiculos: Benefi
 cium dando accepit, digno qui dedit: & illum Ennij,
 Benefacta male locata, malefacta arbitror. Neque
 aliud quicquam magis à dando nos deterret, q̃ quum
 metuimus ne male beneficium collocemus. Id duabus
 ex rationibus fit: altera, aut quum beneficiū cui de
 dimus non prodest, in quo dolemus nos operam atq;
 impensam luisse, aut quum ingratiū experimur, quod
 flagitium non eum tantum offendit, in quem quis est
 ingratus, aut ingrato soli nocet, sed in commune om
 nibus: arctat enim hominum benignitatem, & ardo
 rem inuandi restringit. Timonem quendam Athenis
 hominem locupletem beneficentissimū ac munificum
 in primis fuisse perhibent, sed expertum multos ad
 uersum se ingratos in odium quoddam humani gene
 ris eneētū esse, quæ res ei cognomen fecit *μισοαγαθῶ
 να*. Videmus discipulos vocē illam ac stylum à præ
 ceptoribus expositum atq; exculum in ipsorū per
 b ij.

Ingrati
 tudo

Timon

niciem conuertisse. Quis velit docere? Parentes à filiis dehoneſtatos, compilatos, expulſos, caſos, interemptos, quem delectet vel gignere liberos, vel tollere?

8 *clientes, famulos, famulas in domum & familiam receptos, adintos opibus, euectos dignitatibus, non aliter acceptos, & habitos quàm filios, corrupiſſe patronorum uxores, filias, propinquas, liberorū indolem, ſpoliaſſe domum, prodidiſſe patronos ipſos: vt præſtiſſet ſerpentem in ſinum amiſiſſe, quàm in domum tam peſtiferos homines. Quis non malit in ſyluis, & ſolitudinibus viuere? Rectorē ciuitatis noctes & dies publicis commodis inuigilantem cum ſuo incommodo lenem ac ambitioſum vocant, & regendi imperitum. Bonum principem populus conculcat, malo paret: ea res multos eſſe malos cogit, & quod amiſerunt ingrati, grati luunt. Idcirco inuiſa eſt omnibus ingratitudo etiam erga alios. Tantūmq; hoc crimen viſum eſt, vt quum ſit in ciuitate frequēs, nulla ſit tamen aduerſus illud legibus animaduerſio conſtituta, q̃ omnem humanam æſtimationem ſuperaret, & ex ijs eſſet, vt inquit Seneca, quæ ad vindicem deum remittuntur.*

9 *Mēdici* Sunt qui ex mendicorum filiis aliquos aſciuerint, vt docerent, vt inſtruerēt facultate vitæ, pro filiis haberent, heredes teſtamento ſcriberent. hos paucis poſt diebus cum furto à dominis profugiſſe, aut ſi aliquandiu in domibus remaſerant, effuſos in omnem impudentiam, ac immodēſtiam, oblocutores, reſpoſatores, inſolentes, rapaces, intolerabiles eſſe factos. Et quia de mendicis res ipſa admonuit, ſi quis

eorum vitam ac vitia, & quæ quotidie flagitia & scelera designent, consideret, utiq; miretur magis esse, qui illos vel intuitu dignetur, vsque adeo perditum est, quicquid illis datur. Primum immodestissime ac importunissime efflagitant, ut extundant magis, q̃ impetrent. Sunt qui hac sola de causa nihil dant: alij dant, ut tantam ab se molestia dimoneant. Quum illi nullo respectu ubi aut quando petant, in ipsa confectione sancti mysterij non sinunt homines attente ac pie sacramentum venerari. Faciunt sibi transitum inter turbam cõfertissimam, fœdi ulceribus, tetro per uniuersum corpus halitu spirante, tam & se diligunt, & ciuitatē totam negligunt, ut nihil pensi habeant, ne in quem transmittant vim morbi, ut nullum fere est morbi genus, quod non habeat suam contagiem. quin & ulcera multi comperti sunt, ipsos sibi certis medicamentis & facere & augere, ut miserabiliores sint intuentibus, nec solum sua ipsorum corpora auaritate questus sic deformant, sed & liberorum, quos nonnumquam circumferunt accommodatos. Noni gentem apud quam etiam raptos & debilitatos ad comouendos magis à quibus stipem precantur. Sic alij varios morbos simulant sani & integri, si soli sint, aut necessitas subito ingruat, ostendunt, quam non sint infirmi: sunt qui fuga sibi consulant, si quis eorum ulcera & morbos velit curare. Alij otiosi lucri dulcedine, quod necessitatis est, vertunt in artem. Nollent commutare rationem hanc parandæ pecuniæ: nec minus pro mendicitate sua pugnent, si quis tentet adimere, quàm

b. iij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

10
 alij pro suis opibus: ergo diuites poscunt stipem, & ab
 ijs accipiunt, quibus iustus deberet dare, quod depre-
 hensum in nonnullis, omnes suspectos facit. Iam qui
 semper deum & quicquid est vsquam diuorum habent
 in ore, nihil in pectore habent minus, quam illos: im-
 patientissime in deum iaciunt conuitia, videre est eo-
 rum rixas tam rabidas, maledicta, execrationes, &
 propter minutam vnā, centum periuria, plagas, ca-
 des, impotentissime omnia & teterrime: aspernantur
 nonnunquam, quod gratis donatur, si auaritia non re-
 spondeat, magnoque vultus fastidio & contumeliosis
 verbis reiciunt, & isti sunt, qui magnis clamoribus
 pollicentur oraturos se pro nobis deum, & diuos om-
 nes, quos longo catalogo memoriter recēsent. Stipem
 uacti etiam illos à quibus accepere, rident, tantum
 abest vt eis seorsim bene precetur: alij recondunt in-
 credibili auaritia: quum ne morientes quidem ad ali-
 quem pro se usum proferant, alij detestando luxu di-
 lapidant, cœnis opiparis, quales nec opulenti ciues
 domi suæ habent: animosius illi florenum vnum in ca-
 pum, aut delicatum piscem, aut generosum vinum pro-
 digant, quam suferum diuites. vt non inscite videan-
 tur quidam dicere illos cauponi medicare, non sibi: vi-
 delicet, quod quàm facile est eis illa pecunia eo quæ-
 sita die, tam se aliam quesituros postridie confidunt:
 & nescio quo pacto rara est in exiguis rebus parsi-
 monia: rarior multo, si parte sint citra industriam &
 laborem. Iam quo strepitu epulantur? quàm clamori-
 bus incōditis? dicas rixari meretrices cum lenonibus,

voluptates diligētius rimantur, & se in eis altius im-
mergunt, quàm diuites. *Que* vite consuetudo inci-
uiles eos reddit, impudentes, rapaces, inhumanos: pu-
ellas vero impudicas, libidinosas. Si quis eos recte ac
liberius admoneat, ferocissime obloquuntur, & subin-
de illud iactant: sumus pauperes IESV CHRI-
STI. Quasi vero dominus IESVS tales pauperes
agnoscat, tam alienos à suis moribus & prescripto
sanctitatis vite: qui non pauperes pecunie pronun-
tiant beatos, sed spiritum. Atqui isti maiores interdum
attollunt spiritus, vel ob hoc ipsum, quod sunt paupe-
res, quàm opulenti ob suas opes & copias: oderunt om-
nes, qui vel non dant, vel reprehendunt. A furtis ni-
hil aliud eos arcet quàm pœne metus: aut etiam quod
ocasio non datur. nam si detur, ibi nec legum, nec
magistratus vlla est reuerentia: paupertatis prete-
xtu nihil non licere sibi rati. Iras suas nō verbis aut
pugnis vellunt vltas, sed ferro & cæde: argumento
sunt multa homicidia clam ab ipsis patrata: & si quā-
do civilis discordia incidit, nulli maiores edūt clades,
sive prodendo, & instigando: sive ipsi manu propria.
Vt non sine grauissimo consilio videantur Romani 11
submouisse egenos cura omni atque administratione
reipublicæ cuius ciues haberēt pro inimicis. *Que* ta-
men non sunt à me dicta in vniuersum de omnibus,
sed de genere: alia enim in alijs vel hominibus, vel
nationibus sunt vitia: in quibusdam nulla. Deinde ad
cohortandos magistratus, ac priuatos, vt paupertati
mature subueniant, ne sinant tantam labem & fœ-
b. iij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

diffimam vomicam perniciosissime herere in visceribus suae civitatis. Magis enim, & citius ferendum esset opem egenis propter vitia & scelera, quibus in vita illa, & opplentur ipsi, & alios inficiunt, quàm propter quotidianam victus necessitatem, & inopiam, idque quum in omnibus, tum potissimum in puerili etate.

QVOMODO INOPIBUS

agendum.

TVM etiam ad eos ipsos inopes commonefaciendos, quemadmodum se debeant gerere in suis adversis rebus. Primum reputare oportet eos inopiam illam missam sibi à deo iustissimo, & occulto consilio, etiam ipsis vehementer utili, adempta vitiorum materia, & tributa, in qua se virtus facilius possit exercere: ideo non modo tolerandam equo animo, sed libenter quoque amplectendam, tanquàm dei munus: vertant se ad dominum, qui eos tetigit magno argumento amoris illius, quia quem diligit, castigat. ne perdât correctionis & calamitatis fructum, qui est, seipsos & authorem suum, à quo admonentur, atque accersuntur cognoscere: reiecti à mûdo, electi à deo: nudi atque expediti, nudum atque expeditum **CHRISTVM** alacriter comitetur: sancte agant: deoque solo fidant, non humana ope vlla: & quandoquidē mala recipiunt in hac vita, dent operam, & cōitantur, ne peius multo habeant in altera, ne propter minimos ac vilissimos quæslus in vita amarissima iacturam faciant celestium gaudiorum. Nihil simulent, ne imposturis videantur pro arte uti, confisi magis fraude sua quàm

bonitate CHRISTI, qui nos omnes alit: non enim pecunia est, quæ nos alit, aut panis, minime defuturus ijs, qui vere se tales pauperes præbuerint, quales ipse diligit, simplices, puros, verecundos, amabiles. Neque enim ille omnes pauperes vocat beatos, sed eos in quibus est pauper spiritus, id est, modicus, & pius, & in quæ pecuniæ nec cupiditas, nec amor penetrat. Modeste & probe petant, ac versentur: nihil enim verecundia & modestia pulchrius, aut ad conciliandum amorem efficacius. Porro quid intolerabilius superbo paupere? de quo sapiens ille Hebræus inquit. Tres species odit anima mea, & aggrauor valde anima illorum: pauperem superbum, & dnitem mendacem, & senem fatuum & insensatum: neminem oderint, ne mini inuideant mortalia ad immortalia accincti & properantes: ament, & redamabuntur. CHRISTO paupertate similes sint, & imitatores charitate: à quo nihil est æque alienum, ut arrogantia. Porro quid arrogantius, quam pauperes dicere se cælum dinitibus aperturos? nondum vos illuc estis admissi, iam alios introducitis? Monet quidem nos dominus, ut faciamus nobis de iniquo mammona amicos, qui cum defecerimus recipiant nos in æterna tabernacula. At vero ij recipient, qui iam illic fuerint: quò vos nunquam peruenietis, si peruenturos arroganter & confiditis, & iactatis. Tu qui stas, inquit Paulus, vide ne cadas, sed time. Qui laborare valèt, ne sint otiosi, quod discipulus CHRISTI Paulus vetat: & lex dei hominem labori subdidit: & psalmista beatum illum vo

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

cat, qui edit panem labore manuum suarum questū. Ut nihil est nūc eis segni illo ac torpido otio dulcius, ita nihil esset consuetis aliquid agere gravius aut inuisius quā otium, nihil incundius opere. Quod si mihi fidem non habent, eos interrogent, qui ex otio se ac desidia ad laborem negotiaq; transulerunt. Homini enim operi assuefacto quum consuetudine, tum vero natura ingenij humani otium ac desidia mortis est instar. Multum & pijs orent animis pro bona mente sua & illorū à quibus in necessitatibus vitæ adiuvantur. ut dominus IESVS dignetur eos remunerare centuplo illo in æternis bonis. Pro his quæ acceperūt non cōtenti sint verbis gratias egisse, animum quoq; retineant gratum hoc est beneficij memorem, & quæ data ipsis fuerint, ne turpiter prodigant, neu sordide asseruent, non secum in alteram vitam translaturi, in vsus necessarios prudēter dispensent: quibus ubi erit satisfactum, alijs pauperibus ne inuideant questum, procurent etiam, si possint: quos & ipsi de supernacno diurni victus largiantur, imitatione vetula illius Iudæ, quæ de tenuitate sua duo minuta domino obtulit, hoc est vniuersum censum suū: & laudata est sacro illo seruatoris nostri ore: felicissima, quæ paupertatem suam oblita est, dum deum respicit, idcirco tantum deuotionis suæ præconem inuenit: felix eleemosyna de necessitatib⁹ decisa, quæ CHRISTI testimonio ingentibus diuitum donarijs prælata est. Gentilis Ne hoc videatur Christianis hominibus factū graue, charitas quod gentiles præstitere, alieni à sancta pietate: em

ptorem à taberna sua, quod quātum in eum diem vitui sat erat, collegerant, ad vicinum, qui nihil aut parum vendidisset, transmiserunt. O Christiani ferrem pectus, quod neq; exempla flectunt hominum mundo seruentiū non deo, nec tot diuini præceptoris cum tanta vel pœna vel mercede documenta nihil aliud sonantia, quàm vt proximo bene & cupias, & facias, quatenus possis. Sed ad pauperes redeo: liberos pie sancteq; educant, ac instituant: vt quandoquidem nullas eis sunt opes relicturi, virtutem & sapientiam relinquunt hereditatem regnis omnibus anteponendam. Hæc si egerint, si sic vixerint, scio, & capitis ac vitæ meæ periculo ausim spondere, vbi ab hominibus cibus defuerit, calitus à deo nunquam defuturū: quod qui non credit, profecto is nec CHRISTI promissis fidem habet, & suam vitam non intelligit nequitiam cibo propagari, sed voluntate dei.

QVIBVS VITIIS IMPEDIAN-

tur à benefaciendo ij, qui possunt.

SVnt & in nobis è regione alia vitia, quæ magis multo nostrā beneficentiā impediunt, omnia ex immodico nostri amore orta. Cuius certissima & germana soboles est superbia, & cupiditas alijs emendi, propter quam alios premimus. Hinc superbiæ con Inuidia inuentissima inuidia: qua nostra bona volumus nobis esse propria: vt neminem patiamur ad nostram magnitudinem assurgere, non solum ascendentibus infesti, sed ijs etiam, per quos euehuntur. Iam segnities quadam in pectore, dum metumimus, ne benefaciendo

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

alijs, alios offendamus: quæ res non paucos à propul-
sanda à socio iniuria retrahit, dñ simultates aut dam-
na metunt. Timent etiam quidam ne in ingratum
incidant alienis exemplis non proprijs cōmoti. Nam
ipsi experire nolunt, an felicius sibi cedet benigni-
tas. Tum in corpore desidia quædam delitijs fræcta,
vt operam refugiamus omnem quantumlibet fratrī
profuturam, in lucro aut voluptate mire strenui &
gnani. Maria & terras peragramus exigui quæstus
caussa, sexcenta adimus pericula propter breuissimā
voluptatem, proximi gratia manum gravamur ver-

Luxus tere. Præter hæc tanto pere inualuerunt voluptates,
& luxus, vt nec amplissimus illis census sit satis. Id-
circo nec alijs impartiri audemus, ne nobis desit. Et

Nomina vera rerum nomina cum bonis rebus olim amisimus,
rerū in- sic cessimus vitijs, vt tacito quodam consensu ad ea
uersa. transulerimus, quæ erant propria virtutis. Nemo
credit se male facere, si non existimetur: parsimonie
ac temperatiæ laus in sordes est versa, luxus & dif-
fluentia sunt in pretio tanquam nobilitate & opibus
digna, vt etiam glorientur nonnulli se crebro inebri-
ari: quasi ebrius homo sit, & non pecus. magnam pe-
cuniæ vim in aleam profundere, aut in moriones, con-
uiuari sumptuose, id pulchrum & gloriandum duci-
tur. Simplicitas, candor, & recta prudentia, pro stul-
titia habentur, ad fraudem atq; astutiam prudentie
nomen demigrant, & ingenium ad maledicentiam.
Docere alios abiectum, & vilium hominum, ne filios
quidem, nisi artes vanitatis ac superbie, nec orare

honestum satis, ne videamur deum maiorem nobis fateri, & aliqua nos illius ope indigere. Atq; hæc omnia barbarissimis & stolidissimis seculis inuicta. Deinde Pecunia pecunia, quæ initio fuerat instrumentum eorum modo, quæ ad victum attinerent, transijt in instrumentum honoris, dignitatis, superbia, iracundiæ, fastus, vltionis, vitæ, necis, imperij, omnium deniq; quæ nos pecunia metimur. Addito pecuniæ tam vasto pretio, nemo est, qui non illam quacunq; via & ratione cogendam, complectendam, conseruandam censeat, inire, iniuria, per fas, & nefas, indiscretis, profanis, sacræ, licitis, illicitis: eum qui parauit, sapientem, dominum, regem, virum magni & admirandi consilij: pauperem vero stultum, despicabilem, vix hominem. Hæc tam recepta omnium opinio etiam homines suo ingenio alienos à cura fortunæ adigit ad famulandum ei. Nam alij alijs exemplo & inuitamento sunt ad scelus. Pater, mater, nutrix, fratres, benenoli omnes nihil aliud optant & precantur quam pecuniam, amicus amico, cognatus cognato idem: hostibus vero nihil imprecamur aliud, nisi pauperiem. Afferunt nonnulli honestas, quantum ipsis quidem videtur, & graues causas, parare se pecuniam & tamquam viaticum ad senium sua natura imbecillum, & multarum rerum indigum, ad morbos ad casus varios. hinc ad filios, nepotes, propinquos, affines: hanc providentiam vocant, & ea sollicitudo in infinitum tendit, dum immortalitati generis volumus prospectum: eoque persuasione est ventum, ut qui paulo largius egenis benefa-

cit, is fraudare heredes dicatur: imò inuidioso verbo rapere, furari ab eis: nec desunt leges, quæ auiditati heredum adsint, ac beneficas manus illigent, & sic obtinuit communis sententia, vt pessimo heredi omnia, optimo pauperi nihil debeas. Hæc tanta cura & suspectus pecuniæ rem in eum statum adduxit, vt suæ cuiq; fortunæ vita & anima chariores sint: si quis egeno numum dederit, sanguinem putet dedisse se, non metallum. Accedit his omnibus, quòd quisq; vt vixit, ita moritur: in ambitione, superbia, auaritia transigit vitam, sic vel ædem, vel sacellum, vel sepulchrũ, vt opes sufficiunt, sibi extruit argento, auro, marmo

Vitia re, ebore insigne, vt etiam auaritia viuat in mortuo:

post mor sparsis ubiq; insignibus & ostentata nobilitate generis ad superbiam: armis additis, vt si opus sit, vel cælum expugnet armatus: vel si quis corpori tentet inferre iniuriam, propulset. primum omnium occidat vermes, à quibus depascitur: inscribuntur gesta bellicã, & monumenta crudelitatis, testimonium triste apud iudicem pacis. Ex præda, & spolijs pauperum, & diuitijs inique vel quasitis vel retentis, etiam quum iam amplius nostræ non sunt, iubemus cani nobis nescio

12 quot psalmos, & missas dici. Alij arces construunt, aut Pyramides, aut imagines: denique q̃ memoriam non patiat intercidere: ac dum ista cogitatione agitamur, & magnam inde nobis gloriam pollicemur, vitæ utrosq; nos etiam post mortem, minutum negatur pauperi, ne quid tantis sumptibus deficiat: imò vero detrabitur minutum pauperi, si habeat, & spoliatur

nudus. Ergo precipua causa, cur non benefacimus, est superbia, & amor nostri: qui quo flagrantius exardescit, eo magis extinguit charitatem erga alios. de quo dominus noster in euangelio suo, inquit. Quonia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. He sunt veriores ac certiores cause, cur in benefaciendo contrahimur, sed more cunctis hominibus comuni culpas nostras in alios transferimus, & a quo nos vltro abhorremus, causificamur non facere alieno vitio.

NULLAS CAUSSAS DEBERE

impedire nos a benefaciendo.

AT vero pulchra res est, & excellens in primis benefacere: in qua decet homines amulatores esse parentis sui dei: cuius benignitatem ingratitudo nostra non exhaurit, pluit super iustos & iniustos, oriri solem suum facit super bonos & malos. Et si quis recte expendat, fere inopum vitia nobis sunt impetanda: ingratos ipsi facimus lente aut maligne succurrendo: non puro animo, sed aliquid spectantes aliud, quam beneficium, & gratiam: exprobrando beneficio, commemoratione, nutu, fastidio. Multi etiam vnius erga quempiam ingratitudine sic permouentur, vt nemini velint prodesse: atqui nemo ignorat, non omnes homines eodem esse ingenio, eisdem moribus: ipse experire: audi Senecam hominem gentilem Christianos edocentem, qua illum conueniebat potius a Christianis discere. Equidem locum integrum adscribam, vt pudeat vnumquemque nostrum, ne ex preceptis quidem gentiliū paulo sanioribus vitam institueret. Non

Seneca
locus

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

est, inquit, quod tardiores nos faciat ad bene merendum turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, nos illam inertiam arguimus: deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa necessitate sacrilegi, negligentisq; eorū deterrent: utuntur natura sua, ipsos munerum suorum malos interpretes inuuant. Hos sequamur duces, quātum humana imbecillitas patitur. Demus beneficia, non fœneremus: dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. At male cessit: & liberi & coniuges sepe fefellerūt, tamen & edūcamus, & ducimus. Adeoq; aduersus experimēta pertinaces sumus, ut bella victi, & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficijs decet? quā si quis non dat, quia non recipit: dedit, ut reciperet: bonam ingratorum facit causam, quibus turpe est non reddere. Quā multi indigni luce sunt, & tamen eis dies oritur? quā multi quod nati sunt, querūtur: tamen natura sobolem nouam gignit: ipsosq; qui non fuisse mallet, esse patitur. Hoc & magni animi, & boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa: & post malos quoq; bonum querere. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? Tūc est virtus dare beneficia, non ut tique reditura, quorum à viro egregio statim fructus perceptus est. Adeo quidem ista res fugare nos, & pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet, ut si spes mihi præcidatur gratum hominē reperiendi, malim non recipere beneficia, quā non dare: quia qui non dat, vitium ingrati antecedit. Dicam quod sentio:

qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat citius. haëtenus ille. Sed fuerit sane metus hic ingratitudinis apud gentiles aliquis, quem tamen tantopere Seneca, vt audisti, conatur eripere, idq; primo capite librorum de beneficijs, tanquam lapidem primo statim ingressu molestum & intrantibus offecturum. Nos vero ne is metus à iuuando retrahat, dominus sponsozem se offert pro paupere, in se recipit, quod inopibus confertur: quid iocupletiorë querimus: an fidelem magis? quid illo cogitari potest mitius, aut benignius? ille omnia nobis dedit, quaecumque habemus, & tamen si quis ab eo iussus pauperi aliquid erogarit in dei gratiam, ipse debitorë se facit: sibi vult referri expensum, quod de bonis illius fratri datur. Quid porro nobis vel durius, vel ingratius, qui de ijs, quæ ille apud nos deposuit, dare recusemus, quum ipse inbeat? quid stultius, quos tanta proposita mercede dare pigeat? quid magis cæcum, quàm in supplicium certum ruere, dum caducas res & mille casibus obnoxias arttissime complectimur? Ad hæc, si mature subueniremus pauperibus, haud dubie cum conditione ac statu rerum, mutarent & mores: nunc vero sinimus mendicos in egestate sua computrescere: quid possunt ex suis sordibus aliud trahere, quàm omnia illa cõmemorata vitia? Et quidem illorum culpa humana sunt, & quadam tenus necessarie, nostræ, voluntariæ, ac pene diabolicæ. Quale est enim in ciuitate Christiana, vbi quotidie euangelium legitur, euangelii hoc est vitæ liber, & in eo vnicum præceptum chari-

vinimus
c. j.

- tas, tam diuerso modo vini, atque illic præscribitur? neq; vero nostram viuendi rationem gentiles approbarent cordatiores paulo: planèq; ex gentilitijs ciuitatibus nihil mutauimus præter nomen: vtinā vitia non auxerimus. Audimus, Benefacite, orate pro persequentibus & impugnantibus vos. At nos ciuib; nostris profuturi, etiam loqui grauamur. Socrates homo gentilis, contemptis suis priuatis rebus, cum offensione multorum, atq; inuidia, totam ciuitatem circumibat, docens, admonens, adhortans singulos, noctes & dies incumbens in eam curam, vt ciues suos meliores
- 13 faceret. Nolo apostolorum peregrinationes percensere, & tot exhaustos labores, gentilis vita & actibus erubescāt homines Christiani. Dicitur, qui habet duas tunicas, det vnā non habenti. Nunc quanta inæqualitas? Tu non potes nisi sericis indui, illi canabaceus deest, quo se operiat: viles sunt tibi arietinæ vel a-
- 14 gninæ pelles, ceruarijs pardalibus, martibus, murib; vel pōticis, vel alpinis amiciris: proximus tuus frigore ringit, contractus ad dimidium præ rigore: auro & gemmis onustus, vitam pauperis inferno non redimeres. Ad capos & perdices & delicatissimos ac maximi pretij cibos satur nauseas: fratri tuo deest furfuraceus panis, quo se inualidum cum coninge & parua sobole sustentet, quum tu canibus tuis meliorem pro-
- LUCA. 16 iicias. Nec interea tangeris recordatione luxuriosi diuitis, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, & mendici Lazari. Tibi non sufficiunt ædes, quæ cæpissent antiquorum regum comita-

tus, fratri tuo non est, quo se per noctem ad quietem recipiat: nec times ne illud audias, fili recepisti bona tua in vita tua: & diram detestationem domini, V. **Luce. 6.** vobis diuitibus, qui hic habetis cōsolationes vestras. & illam dei condemnationem per prophetam Ezechielem, Ecce hæc, inquit, fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manū egeno & pauperi non tribuebant. Quum nullus est congerendi finis ad morbos, ad senectam, q̃ surdis illa auribus cantatur, Nolite esse solliciti de crastino, attollite oculos, **Matt. 6.** intuemini volatilia celi, & lilia egri, quæ citra curam omnem suam pater ille celestis pascit, atque auget. Nōne hæc omnia casibus obiecta sunt, nec prodest homini parasse & cōseruasse aduersa dei voluntate, in cuius manu sunt casus: quot ex locupletissimis fecit inopes, scintilla ignis non obseruata, aut pugillus stipula in navi, aut effusus amnis vel oceanus, aut hominis malitia, vel calumniosum verbulū? Quid, an non pauperes sine his valent ac viuunt? & diuites egrotant, & moriuntur cum his? Quanta dementia est existimare vitam esse in pecunia, & pane constitutam: minime oportebat nos huiusce rei esse ignaros, qui toties audimus: non pane solo vinit homo, sed verbo & **Matt. 4.** voluntate dei. & alibi, Non in abundantia eorum quæ **Luce. 12.** quis possidet, est vita eius posita. Quid potuit explicari apertius aduersum inanem concernendi anxietatem, quàm proposita parabola hominis locupletis? cuius maximum in modum pronētus aucti ingentem de
c. tj.

vita securitatem pepererant, vt etiam animæ suæ diceret, Anima mea, ede, bibe, fructu bonis: habes enim multa in annos plurimos parata. & audiuit, quod vnicuique nostrum in medijs fortunarum cogitationibus dicitur: stulte hac nocte animam tuam repetit à te, quæ parasti cuius erunt? vbi hæc sunt audita ex ore illo sapientiæ dei, nefas fuerit exempla de secularibus literis mutuari, in quibus referuntur tam multi sublati in prima aucti patrimonij cõstitutione: quum statuerent iam curas relaxare, & partis frui, mollemq; & suauem in posterum vitam ducere. Nihil aliud videmus in ciuitate laborare homines, nisi vt moriantur diuites, non vt viuant. Iam si in senectutem hæc conduntur, aut morbos: quid sibi vult tãtus in vestitu & epulis luxus, ista ministrorum & clientum frequentia otiosorum, fiducia tuarum opum? tot canes, accipitres, simiæ, alea, scurra? si quis in gratiã locupletis hominis petat, nihil recusatur: in moriones & eos qui risum mouent, quàm multa congeruntur? istis non est dãdi finis: in quo Hispani mei magnifice insaniunt: in gratiam dei nihil est agendum. consuetudine vitiorum occaluimus, vt iam non censeamus, quæ tantum ledunt. Eiusmodi dinitibus contingit sæ penumero, quod sapiens inquit, *Qui calumniatur pauperem, vt augeat dinitias, dabit ipse ditiori se, & egebit.* Sed ne quis subtrahat pauperi manum, metu ne desit sibi, aut certe prætenuiter impartiat, Solomonem auscultet. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecãtem, sustinebit penuriam: & Paulum*

ad hunc modum confirmantem Corinthios in dando eleemosyna, Potens est autē deus omnem gratiam augere in vobis, vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum: sicut scriptum est, Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius Psal. m. manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit. Et multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem deo. Quoniam misterium huius officij non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam accumulatur per multas gratiarum actiones domino. Sic ille, videlicet oratio & gratiarum actio, quæ fit propter eleemosynam deo, impetrat ab illo incrementa eorum commodorum, per quæ misericordiam operamur. Quid? num dictis tantum hæc & monitis constat, non itidem exemplis? In libro Regnorum tertio legimus. Erat in Sarapta Sydoniorum vidua quæ tantum farine habebat domi, quantum pugillo capi posset, & olei paucas guttas: hæc lignatum egressa duo ligna referebat domum, vt libum sibi ac filiolo coqueret: quod ubi edissent, morerentur: etenim erat fames atrocissima in Israel. Helias vero id sibi pro eleemosyna postulauit, promittens non defuturum ei ac filio: fidem habuit mulier propheta, dedit illi, quātūlūmcūq; habebat. post modum vero nec hydria farine defecit: nec olei lechythus imminutus est, vsq; in diem quo misertus est

c. iij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

*Filiorū
cura* Dominus Israel. I nunc, & timidus cōmoda, quod tam
to cum scēnore recepturus es, etiam in bonis vita hu
ius. At posteritatem cogitat quis, id profecto infini
tum est, quis tandem erit cumulandi modus? Quid?
*Ecclesia
Res. 2.* ipsis nullāne vis curam relinquere? nihil quod a
gant? in quo se exerceant? pessime profecto in eos con
sulis: & ipse non recusas tum misere vivere, cū etiam
male illorum causa: qui cuiusmodi futuri sint, igno
ras, audi sapientissimum Regem. Rursus detestatus
sum, inquit, industriam meam, qua sub sole studiosissi
me laboravi, habiturus heredem post me, quem igno
ro, vtrum sapiens, an stultus futurus sit: & domina
bitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus
fui, & est quicquam tam vanum? unde cessavi, renun
taviq; cor meū vltra laborare sub sole. Nam quum
alius labore in sapiētia, & doctrina, & solitudine,
homini otioso quęsita dimittit. Hactenus ille. Caci
exemplis non monemur, quę quotidie oculis se inge
runt, sed nos ab eis animum avertimus, existimantes
cōmuni hominum conditione non teneri, quum simus
homines. alijs adimuntur filij, quibus ingentes opes
congregauerant, & fit quod legimus in psalmo tricesi
mooctavo. Relinquent alienis divitias suas, & sepul
chra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula
eorum in progenies progenierum. Nominaverunt no
minibus suis terras suas. Aliorū divitię ad secundum
heredem non perveniunt: corrupta filiorum indole
spe paternę hereditatis, aut ipsorum parentum in
dulgentia. Tum q; conservare nescit, qui laborem non

adhibuit in quærendo. Aliorum filij sine diuitijs fuisse
 sent optimi, in diuitijs sunt pessimi, vt instrumentum
 videatur flagitiorum ac scelerum is pater reliquisse,
 qui quacunq; ratione liberos locupletare studuit: libe-
 ri etiam quum patrem vident omnia diuitijs postha-
 bere, ipsi patri diuitias anteponunt: iustissima ratio-
 ne, & quam ad nos edocendos deus sinit enenire: bona
 arte & sancta mente filios instructos abunde diui-
 tes relinques: ne illud doceas, rem quocunque modo
 rem: alioqui in te primum experientur vim precepti
 illius. vis audire veras diuitias, & decedentis vita
 patris ad filios madata & legatione testamenti, Tho-
 bias sic moriens loquitur, Audite filij mei patrẽ ve-
 strum. Seruite domino in veritate, & inquirete, vt fa-
 ciatis, quæ placita sunt illi: & filijs vestris mandate
 vt faciãt iustitias & eleemosynas, vt sint memores
 dei, & benedicant eum in omni tempore, in veritate
 & in tota virtute sua. caput itidem eiusce libri quar-
 tum plenum est eiusmodi mandatis, quibus decet v-
 numqueng; patrem filios ditare: non auro vel argen-
 to. vetus verbum est, Congestori auaro heres prodig-
 us: & illud, nec bono heredi opus est pecunia, nec ma-
 lo: ille facile quæret, hic cito profundet. Quam locu-
 pletes existimares te filios relinquere, si illis princi-
 pem aliquem tutorem & patronũ & cen patrem quen-
 dam parasses: profecto, si qua est fides, deum relin-
 quis filijs tuis parentem, si bonus ac misericors fue-
 ris: generatio, inquit rectorum benedicetur: & alio lo-
 co, Qui cõuersatur sine reprehensione in iustitia, bea-

Cap. 14

Psal. 111.

Prov. 20

c. 111j.

exod. 34 tos filios relinquet. Nēpe idem dominus est, qui par-
 cit Israelitico populo propter maiores eius Abraham,
 Isaac, & Iacob: & qui visitat iniquitatem patrum in
 filios in tertiam & quartam generationem eorum qui
 oderunt ipsum: & facit misericordiam in milia ijs,
 qui diligunt eum & custodiunt præcepta eius. Melius
 Ecclesia est mori sine filiis inquit Syrach sapiens, quàm filios
 stici 16. impios relinquere. dicam equidem quiddam minus for-
 sitan receptum in vulgus, sed tamen verissimū, mea
 utique sententia, patres qui experti prauum filio-
 rum ingenium, & quod pecunia tanquam veneno cor-
 rumptur, pessime facere, quum magnas illis opes re-
 linquunt: hoc est certissimam vitiorū materiam, eius-
 modi diuitie adimuntur bonis, qui norunt illarū vsum:
 & mali instrumentum flagitiorum nacti fiunt peio-
 Pater si res. Si quis omnino prospectum vult malo filio, depo-
 litū malū nat eam pecuniam apud viros spectatæ fidei, qui il-
 exhere- li depositum restituant, si redeat ad meliorem fru-
 det. gem: sin perseveret in nequitia & sceleribus, probis
 indigis elargiantur: imò tanquam debitum eis persol-
 Psal. 36 natur. Audi iam & prophetam & hominem senem. In-
 nior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictū:
 nec semen eius querens panem, Tota die miseretur,
 & comodatus, & semen illius in benedictione erit. Cor-
 poribus diligenter prospicis: expediret, vt animis di-
 ligentius prospiceres, exemplo sancti & providentis-
 Job 1. simi Iob: qui pro singulis filiorum holocaustum offe-
 rebat deo, vt si forte peccassent, nec benedixissent
 domino, sacrificijs patris expiarentur. Atqui verissi-

mum sacrificium est & deo gratissimū eleemosyna, de
 qua scribitur in mysticis literis. Ignem ardentem ex- Ecclesia
 tinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & deus stici 3.
 prospector est eius, qui reddit gratiā. Postremo quan-
 tæ sunt illæ opes, etiam apud homines, filius optimi
 patris? Nihil opus est vetera exempla recensere, quæ
 sunt in scriptoribus gentium omnium innumera. quo-
 tidie videmus multos per se indignos opibus, honori-
 bus euehi, sola recordatione paternæ virtutis, & quos
 sine alio despiceremus respectu, veneramur patrem
 in eis spectantes, non ipsos: unde oritur decus nobili-
 tatis. At sepulchra & altaria & sacrata ornamenta,
 & missæ, & psalmi tui abominatio sunt ante deum. Si
 tu ex mortuis lapidibus templum dum suscitās, vīna
 eius templa cadere ac interire pateris. Non donaria Munera
 & magnifica munera respicit deus, sed puram men- deo di-
 tem, & immaculabilem conscientiam. hæc vox etiam gna.
 illis nota fuit qui deum non norant tradita à Plato-
 ne, Xenophonte, Cicerone, Seneca: quanto Christianis
 debet esse notior? qui adorant patrem in spiritu: cu-
 ius patris templum est mundi vnīuersitas, sed pecu-
 liaris puri animi, dicēte apostolo, Templum dei san-
 ctum est, quod estis vos: quid dicam quæri his omni-
 bus famam quandam, potius quàm dei cultum? quod
 ostendit nomen ubiq; inscriptum, & insignia passim
 affixa. Iam quid illic facit aurum? putas deum vel
 puerum esse, qui capiatur auri fulgore: vel auarum,
 qui possessione: vel hominem, qui vsu: eorum debent
 esse ista, qui & possunt uti, & egēt. Verum gloria vi- Gloria

uenti, si expetatur, gravis: si non expetatur inutilis: mortuo superuacua, maioribus enim detinebitur, vel gaudijs, vel supplicijs, quàm ut his nostris vocibus, etiam si ad eum peruenirent, moneatur. **15** Quid Achilli prodest Ilias Homeri tam cātata? quid Vlyssi Odyssea? vel utrūq; opus authori suo? Quid Alexandro tot per orientem Alexandria? Quid Flandrie comitibus aurata statua pro burgo posita? ut transeam quàm caduca & breui peritura sint eiusmodi opera, sed certe pauci intuentur, pauciores animaduertūt, nemo fere de ijs inquit, quorum monumenta sunt: & ut inquisierit, haud magno estimat, quòd si gloria queritur, quæ maior, quàm si benefacias? si prosis? si inuies multos: hæc vna apud priscos homines ad immortalitatem via: ut à nobis est in superioribus expositum: deos vocauerunt beneficos. Deus est, inquit Plinius, mortali inuare mortalem: nec inter virtutes est vlla liberalitate & munificentia gratior & plausibilior, propter quā solam multi ingentia sunt regna consecuti. Sed vnicuique homini bona gloria existimanda est: ut solutus corpore bene à conscientia sua & deo audiat, atque eam ob causam beatissima eternitate perfruat.

QVAE VNICUIQUE A DEO

dantur, non propter ipsum dari solum.

PLato philosophus felices fore respublicas aiebat, si duæ illæ voces ex hominum vita tollerentur, meum & tuum. Quantas enim inter nos ex-
Meum. citant tragœdias? & quibus clamoribus illa intonan-

tur? meum dedi, meum abstulit, meum non tanges,
 tuum non attigi, tuum tene, tuo sis contentus: quasi
 vero aliquid vllus hominum possideat, quod merito
 queat suum appellare, etiam virtutē ipsam à deo ac-
 cepit: à quo nobis data sunt omnia, alijs aliorū caus-
 sa. Primum natura, per quam volo deum intelligi: nam
 nihil est natura aliud, quàm illius volūtas, & iussus: Natura
 hæc ergo quantas vtilitates nobis sine ad vespendum benefi-
 herbarum, radicum, fructuum, frugum, pecorum, pi- cia.
 scium, effudit: omnia in commune: siue ad vestiendum
 pelles, vellera, tum ligna & metalla, & commodita-
 tes animantium, vt canum, equorum, boum, denique
 quæcunq; protulit, in hac proposuit domo nullis re-
 pagulis aut seris clausa cōmunia ijs, quos progeniuit:
 dic tu, qui occupas, an sis naturæ magis filius, quàm
 ego? si non es, cur me excludis, tanquam legitimus na-
 turæ filius nothum? At, inquis, operam & industriam
 nauauit: liceat & mihi possidere, idem faciā. Ergo quod
 natura liberalitate sua dedit commune, nos maligni-
 tate nostra proprium facimus: quod illa obuium ex-
 posuit, nos auertimus, recondimus, claudimus, tue-
 mur, arcemus alios poste, pariete, seris, ferro, armis,
 denique legibus. Itaq; auaritia & malitia nostra cha-
 ritatem & famem indicit abundantie naturæ: & di-
 uitijs dei paupertatē adfert. Iam per malignitatem
 nostram effectum est, ne vere deo dici possit. Aperis
 tu manum tuam & imples omne animal benedictio- 17
 ne. non potest iniri numerus eorum qui tertio ab hinc Bethicæ
 anno in Bethica extincti sint fame, victuri adhuc, fames.

si tam essemus prompti ad ferendam opem,quàm ad petendam:aut si nos vel bestiarum liberalitas mone-
ret,& sensus,quidam naturæ accommodatior,quàm no-
ster,quarum nulla est,quæ pasta & saturata,residua
non hic in commune incustodita velut in amplo quo-
dam naturæ relinquat penore. Quapropter sciat quis-
quis naturæ munera possidet,si cū egeno fratre com-
municet,iure possidere,& ex naturæ voluntate ac
instituto:sin secus,furem & raptorem esse naturæ le-
ge conuictū & damnatum:quum occupet,& detineat,
quæ natura non ipsi vni procrearat. Ad Architam
Pythagoricum Plato scribit,Non nobis solis nati su-
mus,sed ortus nostri partem patria vendicat, par-
tem amici.& senex ille in comœdia,Homo sum,hū-
mani nihil à me alienum puto. Nemo sit ergo huius-
ce rei insciēs,se nec corpus,nec animam,nec vitam,
nec pecuniam habere in vsum modo suum & commo-
dum data:sed esse illarum rerum omnium dispensa-
torem:nec alio fine à deo accepisse. hoc & si vmbra
quadam,tamen vetusta gentilitas vidit,quæ ita per
leges de suis ciuibus sanxit,vt appareret vnumquen-
que omnia debere suæ ciuitati:huic in quengq; ins ac-
fas esse de corpore,de vita,de fortunis statuere,vn-
de illi apud Athenienses Areopagite,apud Romanos
censores in vitam,censum,mores cuiusq; inquirebāt,
vt legibus & pœnis indicarēt,quàm hæc ab vnoquoq;
in publicum commodum administrarentur. Sed in ea
quidem re afferamus iam non hominum testimonium,
sed dei edictum,Gratis,inquit,accepistis,gratis da-

te: & parabola proposita est de eo, qui talentum quod à domino acceperat, quia recondidit, nec est eo negociatus, punitur acriter, collandatis ijs, qui negotiatio ne rem auxerāt: hoc est multos adiunxerant illis ipsis domini beneficijs. Quocirca fur est, non qui hæredi, quod inopibus largiatur, detrahit: sed quisquis inutiliter eruditione abutitur, vel vires cōsumit, vel scientiam finit torpescere, vel pecuniā profundit, vel asseruat. Dicet aliquis, idq; ingenti cum supercilio, de meo hæc facio: quid mihi ad tribunal CHRISTI charitatis & mutue beneficentiæ vindici. id allegas, quod non tibi licuisset ad sellas censorum Romanorum? ostendi nihil esse cuiquam suum: fur inquam est & raptor, quisquis pecuniā in aleam prodigit: qui domi in arcis coactam detinet, qui in ludos effundit aut epulas, qui in pretiosas admodum vestes, aut instructissimum vario argento atq; auro abacum: cui vestimenta domi computrescunt, qui emptitandis rebus supernaculis, aut inutilibus, pecuniam expendunt: qui in vanas superstructiones. Denique quisquis, quod superest necessarijs naturæ vsibus, non egenis impartit: fur est. & si non humanis legibus, quanquam his etiam nonnullis, certe diuinis punitur. Tam est ebrius qui suo se vino inebriat, quam qui alieno: nec minus est suiipsius homicida, qui gladio se trāssodit à se empto, quam qui accommodato. Dives ille apud euangelium nepos non culpatur quod furto, & malis artibus rem parasset, sed qd rem luxuriose prodigeret, qd mēdico Lazaro non subveniret. Non est tua hæc res, sed

tibi cōmendata, quæ etiam si tua esset, profundere, & abuti, nec diuinis tibi legib⁹ permittitur, nec humanis.

NON CONSTARE PIETATEM

& christianissimum sine beneficentia mutua.

HÆtenus diuina cum humanis coniunxi. propter eos, qui tenebris altissimis immersi non ferunt diuinæ lucis fulgorem. Nunc vero sola persequemur illius principis ac domini iussa: de quo dicitur. **Matt. 10** Nolite eos timere, qui occidunt corpus, postmodum autem nihil habent reliqui, quod agant: illum time, qui ubi corpus occiderit, animam potest mittere in gehēnam. Sed nos tantopere ad scelera occalimus vt nihil æque surdis audiat aures, quàm quæ deus iussit. Nec saltem vitæ huius vanitas nos commonefacit, non esse hic spes nostras figendas: ad illum vēturos nos, qui fuerit & spectator, & testis nostrarum quoq; cogitationum, eundem futurum indicem, & vnumquēq; nostrum pro meritis aut retenturum secum in æterna beatitudine, vel missurum ad supplicia. Deus ergo per quos nobis loquitur nisi primum per filium suum? hinc per sanctos viros, & spiritus eius afflato? sed dei certissima oracula expressa sunt libris veteris ac noui testamēti. Quibus omnibus nihil commendatur magis, nihil inculcatur crebrius, quàm misericordia: seu quis græce malit ἐλεος. **Cap. 15** In deuteronomio sic dominus loquitur. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. Nec gratis hoc

iniungitur: additur premium, vt paratam inueniat misericordiam, quisquis exhibuerit. In psalmo enim quadragesimo Dauid inquit, Beatus qui intelligit super egenū & pauperem: in die mala liberabit eum dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciet eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniversum stratum eius versasti in infirmitate eius. Eiusdem vatis versiculus ille ex nono psalmo, Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor: aperte declarat potentem in hoc esse à domino vel dignitate ornatum, vel munitum ac instructum potentia, honore, anthoritate, opibus, vt tutor & defensor sit inopis: vt robustior filius imbecilliori à patre custos adiunctus. Nec de sacrificijs & ceremonijs suis dominus est sollicitus, misericordiā ab homine exigit: huic vni mercedē pollicetur. Apud Esaiam prophetam verbis domini sic legitur. Cap. 58 Rogāt me iudiciū iustitiæ, & appropinquare deo volūt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra: & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Non est hoc ieiuniū quod placet domino. Nonne, inquit, hoc est magis ieiunium, quod elegi, Dissolve colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt, liberos, & omne opus dirumpe. Frange esurienti panē tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuā. Quum

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despereris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Tunc innocabis, & dominus exaudiet: clamabis, & dicet, ecce adsum. Hactenus Esaias. Querit, & circumspicit peccator quemadmodum offensum ab se dominum queat placare, offert victimas, offert primogenitum suum, & spretis omnibus, quæ extrinsecus poterant adferri, de interioribus misericordia postulatur. Sic enim legimus in vaticinijs Micheæ propheta. Quid dignum offeram domino? Curvabo genu deo excelsio? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei, pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ò homo, quid sit bonum, & quid dominus requirat à te. Utique facere iudiciū, & diligere misericordiam. Quibus cura est perscrutari naturas rerum: perhibent,

Amor a- amorem natura & ingenio suo à nulla re verius elici-
mor ē eli- ci quàm ab amore: sic nihil æque dei misericordiam no-
cit. bis conciliat, quàm nostra misericordia. Qui pronus est ad misericordiam, inquit Salomon, benedicetur: & de immisericorde idem ait: qui obturat aurem ne audiat imbecillum, & ipse innocabit dominum, & non erit, qui exaudiat eum. Sed nos aquam, ut dicitur, in mari querimus: quid aliud sonant vetera dei præcepta, nisi vnicam viam nanciscendæ dei misericordie

Miseri-
cordia.

esse nostram misericordiam, etiam vsq; ad commodam
vitæ huius temporariæ? Abraam & Loth consuetudi- in Genesi
ne accipiendi hospites, angelos in scij receperunt: tan-
toq; honore digni sunt habiti: nec angeli a symboli di-
scesserunt. Loth ab incendio & ruina quinque urbium
exemptus est. Abraam filium recepit originem pro-
missæ illius sanctæ ac innumera posteritatis. Rex
ille & vt senex, & vt vates, sic inquit, Iunior fui, Psal. 36.
etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec se-
men eius querens panem. Tota die miseretur & com-
modat, & semen illius in benedictione erit. Veniamus Christi
ad CHRISTVM fidelissimum legatum patris auctori-
missum ad nos magna & admirabili auctoritate si- tas.
gnorum & virtutum in illa humilitate corporis, vt
hominem hostem irato recôciliaret patri, insipientem
erudiret, errantem in via reduceret, cæco vsum red-
deret solis ac luminis: hunc audiri pater voce sua ius-
sit: nos illius doctrina ac luce nos venditamus, illius
gloriamur nomine: quod est super omne nomen, nec
est aliud super terram, per quod salui esse possimus:
nec aliud, in quo nos conueniat gloriari, quàm Pauli Galat. 5
exemplo, cruce domini nostri IESV CHRISTI.
Sed equidem non video, qua fronte audeamus Chri-
stianos profiteri nos, quum nihil ex ijs præstemus,
quæ CHRISTVS prima iussit, ac prope sola. ha-
bebant gentiles philosophi suum signum, quo agnosce-
bantur, nuditatem pedum, sicut Nazianzenus perhi-
bet, vilitatem vestium: habent Indæi circumcisionem:
milites in bello sua signa, omnes signata sunt, merces
d. j.

Christi itidem. CHRISTVS nullūne habet signum, quo
 signum notat suos, atq; ab alienis separat? In hoc, inquit, co-
 Ioan. 13 gnoscant omnes q̄ discipuli mei estis, si dilectionem
 Amici habueritis inuicem: & mox, Hoc est præceptum meū,
 tia lex. vt diligatis inuicem, hoc est caput, hoc primū dogma.

- 19 Amoris hæc est natura, vt omnia faciat communia
 iuxta priscum verbū quod à Pythagora & à Pytha-
 goris profectum ceteræ philosophorum nationes re-
 tinuerunt: nec secus qui amat, res amici curat, & tra-
 ctat, quàm suaspisus: interdum quoq; accuratius, &
 ardentiore affectu. At in nobis vnusquisq; suum agit
 negotium. nemo fratris, & quemadmodum Paulus Co-
 rinthios obiurgans, inquit. Alius esurit: alius ebrius
 est. Tantum abest, vt quæ habes communices fratri,
 vt quacunq; arte & fraude possis, quæ frater possi-
 det, ad te trahas: pauperem vides nudum, ipse vesti-
 bus non indutus, sed onustus & obrutus, ac præteris.
 vbi iam signum illud, quo CHRISTI oves censetur?
 At ne deum quidem diligit, qui hominem non di-
 ligat. testificatur hoc Ioannes in epistolis suis. Qui ha-
 buerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem
 suū necesse habere, & clausit viscera sua ab eo, quo-
 modo charitas dei manet in eo? & post paululum. Si
 1. Ioā. 4 quis dixerit, q̄ diligit deum, & fratrem suum oderit:
 mendax est: qui enim non diligit fratrem suum, quem
 videt: deum, quem non videt, quomodo potest dilige-
 re? Ad hæc nec CHRISTO credit, qui ei non fi-
 dit, quid enim est aliud credere alicui, quam eius di-
 ctis fidere, & promissa existimare certo euentura?

Atqui dominus omnibus etiam ijs, qui de nobis pessime sunt promeriti, & nocerent, si quā possent, iussit nos benefacere, quodq; difficilius est, benecupere. Ille se debitorem tibi offert pro eo, in quem beneficiū contuleris: si crederes tam eximiam illū relatarum gratiam, quantam pollicetur, an non dares? qui negotiatori das decem ducatorum millia, vt cum fœnore recipias, si ius aut verbo mortalis, aut syngrapha mali. Atqui & à CHRISTO habes syngrapham: sed nimium carne opprimimur, & spiritalia in animos nostros non penetrant circumspectos tanta mole carnis, quæ vitiōrū assuefactione callum duxit. Nec vitam nostram dō, à quo vno & genita est, & conseruatur, credimus. Nam si CHRISTO crederemus iubenti, vt totam curam tuendi & sustentandi nostri reijciamus in patrem, à quo sunt omnia, quiq; ea & pascit, & sustentat, quæ sine cura sunt, essemus vsque adeo solliciti? nō essemus. si Rex aliquis mortalis spopondisset: quid aliud dicam, nisi sic nos loqui tāquam omnia credamus, sic viuere tanquam nihil. Neq; vero te tangit, quod summum & postremum est in religione, finis vitæ vel per virtutem, vel per vitia transfactæ, quam præmia vel supplicia consequuntur. Pec- Luce 11
cata dicit eleemosyna purgari. Reliquum inquit est, vt faciatis misericordiam, & sunt vobis munda omnia: confirmavit veterum sententiam. Siquidem Thobias ait. Præmiū enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tene-
d. ij.

IN OA LODOVICI VIVIS DE

bras: & Ecclesiasticus, Ignem ardentem extinguit aqua, & misericordia resistit peccatis. superbissimo Regi Daniel cōsulit, vt peccata & blasphemias suas misericordia, & eleemosynis pauperū redimat, cōcinnant his omnibus C H R I S T I discipuli ex magistri scho

1. Pet. 4 la dicētes, Charitate operiri multitudinem peccato-

Acto. 10. rum. Cēturioni illi gētili in actis apostolorū propter eleemosynas indicatur ab angelo iter salutis. Et quē admodum ad ciuitatem aliquem demigraturis salute consilium est, si quos eius incolas officio sibi aliquo demereantur: sic dominus admonet atq;horta-

20

Lucæ. 16 tur nos ex mammona iniquo amicos querere, qui nos mortuos recipiāt in æternas illas domos: & adolēscen-

Lucæ. 18 ti qui de vita æterna cōsulebat, respondit. Si vis perfectus esse, vade & vēde omnia que habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celis, & veni sequere me. Iudicis viuorum & mortuorum vtinam non minus quisq; sententiam metueret, quā sepe audiuit: & quā nulli non est cognita, qui vel pro mise-

Matt. 25 ricordie operibus pręstitis beatam æternitatem remuneratur, vel pro omissis supplicio addicit. Quid dicemus ad hæc omnia? An contingit nobis, quod de Phariseis narrat Lucas in euangelio? qui q̄ essent anati, irridebant præcepta C H R I S T I. nec vlli sunt adhuc, quibus æque ridicula est celestis doctrina, quā accensis diuitiarum cupidine: vt ineptus auaritia est regno dei diues, qui opes suas amplectitur. nec si-

1. Tim. 1 tis omnibus auaritiā appellauit seruitutem idolo-

rum: pecuniam enim inquit, quidam expetentes à fide navi tutissima deciderunt. Nullum crimen morte ab apostolis vindicatum est, præter auaritiam Ananias, & coningis: in quam Petrus potestatem illam apostolicam non per tortorem & carnificem, sed efficacia vocis suæ ostendit, & exercuit: quòd sciret, quantum affectus ille probis moribus, & pietati nostræ odium bellumq; indixisset: quod aliquando exarsurum esset maximo detrimento & clade totius religionis. Examine quisq; conscientiam suam, an credat illa, quæ recensuimus, quum his tam parum moueatur: at credo ait unusquisq; ego vero credere te audio, credere non video. Filioli hortatur Ioannes, ne diligamus verbo tantum, sed re, & opere. & Iacobus, Estote factores verbi, & non auditores tantum: si credis, cur tantis promissis & minis non tangeris? cur quod assignatum tibi est munus, non capeffis? præsertim tantis gaudijs paratis ei, qui fecerit: tantis cruciatibus, qui prætermiserit. Summa hæc est: ego neminem existimo Christianum esse, qui quatenus potest, non subuenit fratri indigenti. Paulus & Barnabas quum Hierosolymam venissent, Iacobumq; fratrem domini loci illius sanctissimum episcopum, simul & Petrum & Ioannē conuenissent, exposito euangelio, quod predicarant in gentibus, & collaudati ab apostolis, sic digressi sunt, ut utrinq; tantum de misericordia memissent: dextras, inquit, dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi in circumcisionem: tantum ut pauperum memores essemus: de toto homine d. iij.

curant, totum alunt, & reficiunt: toti student prodesse: mēti per prædicationem & sacram doctrinam, corporibus primū miraculis & virtute pellendi morbos, quæ comitabatur prædicationē, constātissimāq; illam fidem, & adiumentis vitæ in colligenda pecunia, qua indigi alerentur: hoc est vere Christiani & sectatoris principis ac magistri sui, qui totum hominem fecit, totum sanauit, totum aluit, mentem doctrina, corpus cibo: ita conuenit nos & animo benefacere, & corpori, quacunque facultas detur.

QUANTVM ET QVOMODO
cuique benefaciendum.

Cicero, Aristoteles, Theophrastus, Panætius, Possidonius, Hecaton, Seneca, & ceteri, qui de officijs vitæ communis scripserunt leges quasdam statuerunt, cui, quatenus, quantum, quando, quemadmodum præstandum sit vel officium, vel beneficium, vel referenda gratia. Sed quum humana sola persequerentur, non omnia potuerunt suis præceptis concludere: propterea quod hominum natura varietate sua infinita est: quam formula sua diuina dominus comprehendit videlicet author illius. Dato enim charitatis præcepto erga deum & hominem, ceu normam quādam & amussim assignauit, qua vniuersa mortalium omnium vita possit dirigi. Si quis vere & ex animo deum diligit, & fratrem propter deum, amor ille verius ei suadebit & rectius quid agendum sit, quam quicunque magistri sapientiæ. Sumat quisque in proximum affectum germane amicum, atq; in inuando deum so-

lum spectet, ab illo sperans remunerari se, nihil dico amplius, hoc vnicum documentum superat longa illorum philosophorum, quos modo commemoravi, monumenta. De magnitudine beneficii, & in quem conferendum, sunt illa CHRISTI, Omni petenti abs te dato: volenti mutuari abs te, ne auertaris. Beneficij magnitudo. te persequentibus vos, amate eos, quibus estis iniisi: Matt. 5 orate pro ijs, qui vos execrantur, ac deuonent. nempe sic agendum est ei, qui à rebus istis mundi huius penitus se ad dei vnus fiduciam, & amorem sustulit. Illud vero Thobie humani magis. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vilo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies domini. quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire: cui non dissonat, quod in ecclesiastico legitur. Ante mortem tuā benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. Hi facultatem metiuntur, & solitudine non carent, quam amor excludit. Sed quanto hi melius, quam qui ex ingenti inuandi facultate & copia exiguam portiunculam impartiunt, vt qui ex amplissimis opibus vnā aut alterā stipem vnciariam, dicamus minutam: vt hactenus fecimus voce vestrati. Qui parce, inquit apostolus, seminat: parce & metet. & qui in benedictionibus seminat, id est largiter & plena manu, abunde etiam metet. similis est ad Galatas sententia, quam statim referam, vt à deo accipis, sic illi reddito: si ille affluenter dat tibi. d. iiii.

bi, cur tu illi retribuis tam arte & maligne? præcipue quum nihil tibi dederit propter te vnum, sicuti differuimus. Quam iniquum est, seu impudēs potius, & inhumanum, quum tu per millena à deo accipias, numulum vnum pauperi dei filio fratri tuo denegare petenti, & supplicanti propter deū. Nunquid quum nominari audis deum, non colliquescūt intranea tua omnia recordatione beneficiorum, quæ tot ab illo per singula percipis momenta? ingratiſſime ſuſtinere potes nihil aut parum in illius gratiam dare, qui tibi largitus eſt omnia? Neque vero neceſſitates noſtras ſic conuenit metiri nos, vt luxum & diſſluentiam inter neceſſitates ponamus, ſicut ſericis veſtiri, auro & gemmis fulgere: ſtipari magna frequētia comitum & adminiſtratum, quotidie epulari oppipare, aſeam animoſe ac largiter ludere. At ne quis blandiatur ſibi, tanquam de multis copijs multa etiam egenis elargiatur, admonendi ſumus non eſſe acceptam deo elemoſynam, quæ ex ſudore & ſubſtantia pauperum rapta ſit à diuite: quale eſt enim per fraudem, per impoſturam, per rapinam, per vim expoliaſſe te multos, vt aliquid paucis aſpergas? ſurripuiſſe mille, vt des centum? in quo putant ſe quidam ſatiſſacere, ſi ex magnis vel prædis vel fraudibus redimant ſe aliqua portiuncula, quam dent egenis, aut ex qua ædificent ſacellum, affixis ſuis inſignibus, aut templum ornent ſpecularibus, aut quod ridiculum magis, auditori noxiarum numerent, vt abſoluātur. Confefſio Zachæi

meorū do pauperibus, & si quem defraudauerim, red
do quadruplum. Ideo sic à CHRISTO absoluitur.
Salus hodie huic domui facta est: quoniam & ipse fi-
lius sit Abraæ: nempe qui iustitiam Abraæ non profi-
tebatur nomine, sed præstabat operibus. De iustis er-
go & bene quasitis grata est domino eleemosyna, fa-
ciat quisq; quod Zachæus, vt idem audiat. Sed nec
illud oscitanter transeamus, quòd Zachæus non da-
turum se dimidium suorū bonorum pollicetur, sed iam
dare profitetur, nec eam prouinciam ad heredem de-
legat, ipse fructuosissimum obit munus, cui plurimum
detrahit pretij mortis expectatio. Vtilissima facien-
ti est eleemosyna, quæ fit in vita. Primū hoc est quod
potissimum refert nobis acceptū deus, si in gratiam
sui aliquid nobis detrahamus, & rem charam postpo-
namus illi omnium charissimo. hoc est meritum, quod
ipse tibi velut de substantia tua, anellis, quod des al-
teri propter deum. Et habet eleemosyna omnis ve-
lut præmium præsens: remollit durum cor, parat pœ-
nitentiæ delictorum & dulcedine quadam perfundit.
Hoc vnusquisque in se experitur, quisquis alteri ex
animo benefacit propter deum: gustum quendam ex-
hibet eleemosyna illius felicitatis sempiternæ. Iam
qui dat viuens, minus fit auidus iniqui lucri, quip-
pe qui in id paret, vt det deo, quem scit inique par-
tis muneribus non delectari: & liberalitas, vt cate-
ræ virtutes, exercèdo augetur. Qui moriens est man-
daturus, vndique coacervat, quod viuens possideat,
quo fruatur: & iam tum quā clausa omnia contineat,

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

& cohibeat, tamen quia statuit legare, deo imputat, quod est daturus, quasi eam putet deus misericordiam, dare quod retinere non possis. Neminem debitor quin testamētis leget eleemosynas: quod enim charitatis opus melius fieri possit à moriētibus, vel sanctius? Tantum doceo quantum præstet viuentes ea ipsos per se exegui, quàm morientes alijs mandare, ne magis alienis credāt manibus quàm suis proprijs. Prætereo quantum desiderium relinquit sui assuetus in vita benefacere, quum contra, qui beneficentiam in mortem reijcit, huic omnes mortem optant ut ali-

Benefa- quando proſit. Iam vero benefaciendū omnibus. Nam
ciendum pro omnibus se offert CHRISTVS. ac ne nos de-
omnibus terreat inopis indignitas, habemus dignissimū deum: qui & nobis immerentibus prior benefecerit, & se ex creditore debitorem facit, si quid das pauperi. Aristoteles philosophus non perinde bonus, ac doctus, quum malo homini numum roganti dedisset, admonentibus amicis, ac suboburgantibus, quod benefecisset indigno, Non, inquit, illius sum misertus, sed nature: quanto nos magis decet misereri pauperis propter deum? cuius misericordia si vel temporis punctum à nobis recederet, quid esset nobis vniuersis miserabilis? Atqui hæc est dei & domini vniuersorum

Matt. 25 syngrapha, Quicquid vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. audi etiam hominem, si fas est hominem

Prov. 19 post deum audiri, sed sapientissimus est, & dei scri-

Ecclesia- ba: itaque deus putabitur loqui. Fœneratur domino,
stici 26. qui miseretur pauperis, & vicissitudinem reddet ei.

Quis nostrum expostulationem illam domini sustinere poterit? Serue nequam cur ex meo non dedisti, quod ipse iusseram? quid fecisses de tuo? Ergo æterna hæc bona non habebis, in quibus fidelis non esses, qui in mundi vanitate infidelis fueris. Non hæc fingo, **CHRISTI** verba sunt in euangelio Luca: Qui Luca 16. fidelis est in minimo, & in maiore fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiore iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? Sed expen- Necessi-
dendæ sunt hominum necessitates, alij plus egent a- tates ex
lijs. Sunt etiam quibus præstat talentum dare, quàm pēdendæ
alijs minam: vt qui pecuniam in vsus honestos expen-
dunt. Aleatoribus aut scortatoribus dare: quid est a-
liud, quàm igni stupam addere? quod dicunt non esset
hoc beneficium, sed damnum. Ideo Paulus, ad Gala- Cap. 6.
tas sic scribit. Communicet is, qui in fide instituitur,
ei qui instituit in omnibus bonis, nolite errare, deus
non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc &
metet. Qui seminat in carne sua, de carne & metet
corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiri-
tu metet vitam æternam. Boni autem facientes non
deficiamus, tempore enim suo metemus non deficien-
tes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad
omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Timotheo
præcipit, vt presbyteri, qui bene præsunt commisso
gregi: honore, hoc est munere, & liberalitate duplici
digni habeantur, præcipue ij, qui laborant verbo &

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

doctrina. videlicet quod hi pecuniam commendatam ac veluti creditam melius dispensabunt, quàm imperiti, aut nequam, aut flagitiosi homines. Ad eundem modum probū ingenium fovendum, adiuuandum, promouendum, ornandum, instruendum facundia, eruditione, autoritate: malum vero coercendum, spoliandum, exarmandum, torquendum: detrahenda ei eloquentia, & autoritas nocendi instrumenta, non ponendum ferrum in manu furentis. Sed hoc discrimen non quemadmodum nunc facimus, expendendum est, ut pluris apud nos valeat cognatio, aut notitia, aut communis patria, familiaritas, officia, quàm sapientia, mores, virtus: hinc enim sumendum discrimen, non illinc. Vere fratres sunt, quos peculiari quodam & sancto modo regenuit CHRISTVS: apud quē non est distinctio Iudæi, & Græci. Nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum: sed certe in hoc summa rei vertitur, referantur omnia ad bonum illud præcipuum, ut tantum inueter quisque, quantum ad hoc videbitur indigere: & cuique demus plurimum profutura, & diu, quantum ratio vel necessitatis eius vel facultatū nostrarum feret. Quæ non iuuant supernacua sunt, onera magis quàm munera: ut fœmina aut senis, sicut inquit Seneca, arma venatoria: rustico libri, iam quæ nocent, quanto verius maleficia sunt, ut ebrioso vinum dare, gladium pugnaci, in quo dum putamus prodesse, vehementer ledimus. quid distant talia amicorum munera & beneficij modi? At in modo, ut ne quid ad nos referamus,

omnia in deum. Idcirco alacriter exequendum, quod Thobias dixit, libenter: & Paulus, Vnusquisq; det si- 2. Cor. 9
cut destinavit in corde suo non ex tristitia, aut ex
necessitate: hilarem enim datorem diligit deus. Itaq;
ex animo ad iuvandum & benefaciendum prompto na-
scatur beneficium, non quia aliud non audeas, vel
negare erubescas. Porro qui differt, non admodum ab-
est à negante: arguit enim tarditas refugiisse nos, &
eripi magis à nobis, quàm impetrari: dandum ergo ci-
to, id est quum primum se ostendet occasio, & matu-
ritas vtrinq;: serum beneficiū post opportunitatem,
imò non est beneficium. At vero nec antequam sit o-
pus, cito dicitur, cito est enim antequam urgeat ne-
cessitas, antequam ad flagitium aut facinus adege-
rit, antequam rogandi rubor faciem accenderit: quod
est premium muneris maius ac gravius, quàm pecu-
nia: ut est gratum beneficium, quod rogandi necessi-
tatem antecessit? Et hilaritas, quam Paulus vult be-
nificētiē admisceri: promptus est ille animi affectus
in vultu, verbis, & toto gestu eminens non ornantes
munus verbis, quod amēs ille amator in comœdia ser- 21
uo mandat, sed animum proferentes alacrem, letum,
quod benefacere contigit: tum etiam cupidū amplius
dandi. si ita res postularet, aut liceret, libertate ta-
men incolumi & non confusis voluntatum signis, ut
nihilominus aperias, quid displiceat, quid correctum
velis, ac mutatum. Nam admonitio & castigatio ge-
nus est eleemosynæ, ut declaramus, maioris quàm
pecunie erogatio. Cavendum tamen, sic corripias, ut

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

ne videaris id facere, quòd moleste feras peti abs tè beneficium, aut quòd ius illud reprehendendi non ex illius culpa sumpseris, aut amico tuo pectore, sed ex authoritate beneficentiae. inualida enim est tunc oburgatio, proinde consultius est apud eiusmodi suspicaces homines castigationem in aliud tempus differre, videlicet quum nihil das. Nec nobis arrogemus quicquam, nam non de nostris bonis impartimur, sed deo reddimus, quæ sua sunt: quin potius habeamus gratiam, quòd vti licuit, & existinemus actum nobiscum optime, quòd fuerit, vnde tantam cõsequeremur mercedem. Nec beneficium corrumperimus exprobratione, iactantia, commemoratione, ostentatione. Denique nihil velimus datum hominum oculis, sed dei. quo minus expectarimus ab hominibus, hoc plus accedet à deo. Si ab hominibus præmium speremus, divino frustrabimur: plerunque & humano quoq. illa ergo beneficentia deo gratior, quæ solis dei oculis exhibetur: in qua nihil humane vanitati relinquitur, pulchrum templa extruere, & ornare, quibus deus colatur: sed nescio quid vendicat sibi in his omnibus affectus humanus, etiam in viris, qui mente sunt integerrimi: nam de ijs, qui vanitatem solam spectant, quid attinet loqui? quâto purius & sanctius, & deo acceptius, quod inter dantem & recipientem consumitur? cuius testem solum adhibes invisibilem illum, qui videt omnia: in his enim soli studeo deo placere, nihil ad gloriosam tuam cõvertis. huius etiam certissimum & largissimum remuneratorem habes patrem illum cele-

stem, à quo tu solo spectari voluisti. Sed iam dominum ipsum auscultate apud Matthæum. Attendite **Cap. 6.**

ne iustitiam vestram faciat coram homini-

bus, ut videamini ab eis, alioqui merce-

dem non habebitis apud patrem ve-

strum, qui in celis est. **Quum**

ergo facis eleemosy-

nam noli tuba ca-

nere ante

te,

sicut hypocritæ

faciunt in syn-

agogis, & in vi-

cis, ut honori-

ficientur ab hominibus. Amen dico vobis,

receperunt mercedem suam. Te autem fa-

ciente eleemosy-

nam, nesciat si-

nistra tua, quid

faciat dextera

tua, ut sit elee-

mosyna tua in

abscondito: & pa-

ter tuus, qui vi-

derit in abscondi-

to, reddet tibi.

IOANNIS LODOVICI
 CI VIVIS DE SUBVENTIONE
 pauperum Liber secundus.

QUANTO PERE CONVENIAT
 rectori civitatis curare pauperes.

magistra
 tus inci-
 nitate.



Attenus quid vnumquenque
 deceat, posthac quid civitatē
 publice, & eius rectorem, qui
 est in ea, quod in corpore ani-
 mus: hic non vnam aut alte-
 ram corporis partē vegetat,
 aut vinificat, sed corpus vni-

versum: sic magistratui nihil in suo cœtu relinquen-
 dum est neglectū. Nam qui divites solum curant, spre-
 tis pauperibus, perinde faciunt, ac si quis medicus
 non multum censeret manibus subveniendum aut pe-
 dibus, quod procul absint à corde, quod ut non fieret
 sine gravi dāmno totius hominis: sic nec in republica
 tenuiores negliguntur citra periculum potentium: il-
 li enim necessitate pressi partim furantur. Index in-
 dignam se putat eam cognitionem, sed hoc leue, ditio-
 ribus invidet: fremunt atq; indignantur superesse
 illis, vnde scurras, canes, scorta, mulas, caballos, ele-
 phantos alant: sibi vero non esse, quod dent parvis li-
 beris esurientibus: illos superbe ac insolenter divitijs
 abuti, quas sibi & similibus eripuerint. Hæ voces hand
 facile creditur, quot civilia per gētes omnes bella com-

mouerint, in quibus incensa multitudo & odio flagrans
primum omnium furoris sui experimenta in diuites
edit. Non aliam causam afferebāt Gracci, non aliam 23
L. Catilina civilis discordiæ, quam excitarāt, ne quid
de nostris temporibus vel regionibus commemorem.
Equidem non pigebit adscribere locum quendam ex
Isocratis oratione, quæ Areopagitica dicitur, de mo-
ribus ciuitatis Atheniensis. Similia, inquit, dictis
sunt, quomodo ipsi inter se agitabant. Non enim cir-
ca publica solum erat hic cōsensus, sed in vita etiam
priuata: tantū alij erga alios prudentiæ ostendebant,
quantum par est tum recte sentientes, tum patriam
habentes communem. Tantum aberat, vt locupleti-
bus tenuiores inuiderent, vt his non secus magnæ do-
mus curæ essent, ac suæ ipsorum, reputantes felicitate-
tem illarum vtilitati sibi esse: opulenti non despicie-
bant pauperes, sed considerantes pudendam sibi esse
cuius suorum indigentiam, necessitatibus illorum sub-
ueniebant: quum his quidem agros exigua mercede co-
lendo locarent, alios ad negotiationem procuratores
suos mitterent: alijs alias occasiones præberent lucri.
Neque vero metuebant ne in alterum duorum dispen-
diorum inciderēt: aut censu vniuerso spoliari, aut cer-
te parte aliqua: contra potius non minus ijs confide-
bant, quæ fuerant largiti, quàm quæ domi asseruabant.
Tantum Isocrates. His accedit periculum ex conta-
gio morborum cōmune, quoties vidimus hominem vni
magnum aliquem & seuum morbum in ciuitatem in-
uexisse, vnde alij complures perierint: vt pestem, scā
e. j.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

biem indicam, & eiusmodi. quale est enim, ut in vno quoque templo cum festum est solenne ac celeberrimum, tum maxime penetrandum sit in eadem inter duas acies morborum, vomicarum, ulcerum, & ceterarum rerum vel dictu obscenarum: hæc una sit pueris, puellis, senibus, gravidis via: putatis omnes tam esse ferreos, ut ad eum aspectum ieiuno corpore non commoveantur? præsertim quoniam eiusmodi sanies ac ulcera non modo ingerantur oculis, sed etiam naribus, ori, & fere prætereuntium manibus & corpori admoneantur, tanta est impudentia efflagitandi: prætereo quod nonnulli admiscunt se turbæ commodum discedentes à latere extincti peste. Hæc non sunt administratoribus civitatum negligenda: tum quò subueniatur morbis, tum ne ad plures serpant. Præterea nec est sapientis magistratus & studiosi publici commodi, relinquere tantam civitatis partem non inutilem modo, sed perniciosam quoque & sibi & alijs: clausa enim multorum benignitate, quum unde se alant non suppetit, alij coguntur latrocinia & in civitate & in itineribus exercere: alij clam furantur: fœminæ quæ sunt ætate bona, pudore abiecto, pudicitiam retinere non queunt, venalem ubique habent minimo, nec à pessima consuetudine possunt extrahi. Vetula continuo lenocinium arripunt: & lenocinio coniunctum veneficium, egenorum parvi liberi praviissime instituti: ipsi cum filiis abiecti ante sacras aedes, aut circumuagantes petendo, nec sacris interfunt, nec concionem audiunt: nec scitur qua lege, quo ritu vivant: quid de fide & moribus sen

tiant. Nam eò dilapsa est disciplina ecclesiastica vt
 nihil administretur gratis: vendendi vocabulum abo-
 minantur, certe numerare cogunt. Episcopus aut Cu-
 rio tam detonsas oues non putat ad canlam & pastu-
 ram suam pertinere. Ita nemo est qui mendicos illos
 videat confiteri, communicare cum alijs mēsa domi-
 ni: & quum docentem nullum vnquam audiant, neces-
 se est corruptissime de rebus indicēt, & incompotif-
 simis sint moribus: & si forte aliqua ad opes emergūt,
 intolerabiles existant ob inhonestā & obs.œnam edu-
 cationem. Vnde nascuntur ea vitia, quæ dudum recen-
 sui, non tam illis imputanda, q̃ etiam interdum magi-
 stratibus, qui non aliter ciuitati prospiciunt, haud re-
 cte de gubernatione populi statuentes. vt qui solum
 se existiment præfectos litibus pecunie, aut crimini-
 bus censendis. Quum contrā magis conueniat eos in
 hoc incumbere, quo pacto ciues bonos reddant, quàm
 quemadmodū vel puniant malos, vel coerceant: quan-
 to enim minus esset opus pœnis, si recte esset prius il-
 lud curatum. Romani olim sic suis ciuibz prospexer- 24
 ant, vt nemini necessum foret mendicare, ac ne lice-
 ret quidē: iam inde à duodecim tabulis vetitum: idem
 Atheniensium populus cavit. Legem dabat dominus
 Iudæe genti peculiarem, duram, præfractam, videli-
 cet populo consimilis ingenij: & tamen in Deuterono- Cap. 7 s
 mio iubet, agant, dent operam, quatenus erit suarum
 viriū: ne vllus sit inter eos indigus & mendicus, præ-
 sertim anno illo quietis, & acceptabili domino: in quo
 semper viuunt, quibus dominus IESVS seruultus est
 e.ij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

cum lege, ceremonijs, vetere homine: & resurrexit in nouitate vitæ, ac spiritus. Profecto turpe, ac pudendum est nobis Christianis, quibus nihil est magis imperatum, quàm charitas, ac nescio, an solum, tot in nostris ciuitatibus egenos & médicos passim occurrere: quocunq; te vertas, inopia, necessitates adsunt, & qui extendere manum coguntur, vt accipiant. Quid quòd quemadmodum renouantur in ciuitate omnia, quæ temporibus aut casibus, vel mutantur, vel intereunt: muri, fossæ, aggeres, riuus, instituta, mores, leges ipsæ: sic par esset succurrere primæ illi distributioni pecuniæ, quæ varijs modis damna accepit: excogitata sūt à viris grauissimis, & qui ciuitatis saluti volebant consilium quædam salutaria, relaxatio tributorum: agri publici tradebantur colendi pauperibus: distributio publicitus alicuius redundantis pecuniæ, quod etiam nostra etate vidimus. Sed illis opus sunt certæ occasionēs, quales hoc tempore perrare contingunt, idcirco ad alia confugiendum remedia commodiora, magisque perpetua.

COLLECTIO PAUPERVM

& professio.

Querat ex me aliquis, quomodo ergo tantæ multitudini subueniendum censet? Si quid in nobis charitas valeret, ipsa esset nobis lex, quæ amanti non est posita, ea faceret omnia communia: nec secus alienas necessitates quisq; spectaret, q̃ proprias. Nunc nemo est, qui curam suam extra domum suam proferat, interdum nec extra cubiculum,

ac ne extra seipsum quidem. Quando multi nec parentibus, nec filijs, nec fratribus, nec uxori satis fidi sunt. Ergo remedijs humanis vtcunque occurrendum, præcipue apud quos parum habent efficaciæ diuina: Mea quidem sententia ad hunc modum.

Ex pauperibus alij viuunt in ijs, quæ vulgo hospitalia dicuntur, Græce πτωχοσπείρα, sed notiore illo vtendum erit, alij publice mendicant: alij ferunt, vt possunt, domi quisq; suæ suas necessitates. Hospitalia voco, vbi ægri aluntur, & curantur, & vbi certus inopum numerus sustētatur: & vbi pueri ac puellæ educātur: & vbi expositi infantes nutriūtur, & vbi mente capti continentur, & vbi cæci degunt: hæc omnia sciant rectores ciuitatis ad curam suā pertinere. Nemo de legibus cōditorum caussificetur: inuiolata perdurabunt: verba in his expēdenda non sunt, sed equitas: vt in contractibus bonæ fidei, & voluntas, vt in testamentis: de qua dubium non est, quin ea fuerit, vt in vsus q̄ fieri posset optimos, relicta à se facultates distribuerentur, & dignissimo consumerētur loco: per quos aut quemadmodum fieret, non tam solliciti, q̄ vt fieret. Deinde nihil est in vrbe tam liberum, quod non Oīa subditum sit cognitioni eorū, per quos administratur duntur respublica: neq; enim libertas est communibus magistratibus non subijci, & parere, sed incitamentum ferocitatis, & ansa licentiæ effusa in quodcunq; animo fuerit collibitum: nec aliquis potest eximere bona sua curæ & imperio ciuitatis, nisi simul ciuitatem exeat. quippe nec vitā potest eximere, quæ prior est, & vni-

e. iij.

cuiq; potior, præsertim quum quisq; fortunas suas beneficio ciuitatis tanquam munus acquisierit, ac eiusdem ope conseruet, atque retineat.

Ergo harū omnium domorū singulas bini senatores cum scriba aliquo visant, ac scrutētur: pronētus perscribant, atq; eorū numerū, ac nomina, qui ibi sustentatur: simul qua quisq; ratione illuc peruenierit. Hæc omnia ad consules & senatū perferantur in curiam.

Qui domi paupertatē tolerāt à binis senatoribus per singulas Paræcias ipsi cū liberis annotentur, necessitatibus additis, & qua ratione vixerint antea, ad paupertatem quo casu deuoluti sint: ex vicinis facile intelligetur, quod genus hominū sint: qua vita, quibus moribus: pauperis testimoniū ne recipiatur à paupere: nam inuidia non vacat. De ijs omnibus consules & senatus edoceantur, Si qui in aliquem casum repente inciderint, significant per senatorem aliquem senatui, & de eo ex ipsius qualitate ac conditione statuatur.

Hinc ex mendicis incertis domicilijs vagis, qui valent, profiteantur apud totum senatum nomen suum, & mendicandi causam, in aperto loco aliquo, aut area, ne illa collunies ingrediatur senaculum: æ-
 25 gri apud duos, aut quatuor senatores cum medico, vt
 26 oculis senatus parcatur: petantur ab eis notores, qui de eorum vita testificentur.

Quos senatus hisce examinandis, & exequendis rebus præfecerit, eis assignet potestatem compellendi, coercendi, hæctenus vt possint mittere in custodiā, quo de ijs, qui non paruerint, cognitio sit senatus.

QVA RATIONE EIS OMNIBUS prospiciatur victus.

ANte omnia illud decernendū, quod dominus generi humano tanquā pro multa criminis indixit, ut unusquisque edat panē suū labore suo quesitū: quum edere, aut ali, aut sustentari nomino, volo non solum cibum intelligi, sed vestitū, tectū, ligna, cādelas: denique ea omnia, quæ corporis huius victu cōtinētur.

Ne quis igitur inter pauperes otiosus sit, qui quidem per etatē aut valetudinē laborare possit. Paulus apostolus ad Thessalonicēses scribit. Nam quū essemus apud vos, hoc denūtiabamus vobis, qd si quis non vult operari, nec māducat. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulantes in quiete, nihil operātes, sed curiose agentes: ijs autem qui eiusmodi sunt denuntiamus, & obsecramus in domino IESU CHRISTO, ut cū silentio operātes suum panē manducent. & Psalmista utraq; felicitatem & in vita hac & in altera promittit ei, qui comederit ex labore manuum suarum. Quocirca non patiēdum est quenquā in ciuitate otiosum vivere, in qua tanquam in domo bene instituta unumquemq; decet esse in officio. Prisca sentētia est, homines nihil agendo discunt male agere.

Valetudinis habenda ratio, & etatis: sic tamen ne simulatione morbi, aut infirmitatis imponāt: quod non fit raro, adhibebitur medicorum iudiciū, & qui sefellerit puniatur.

Ex medicis validis alienigenæ remittendi ad suas ciuitates, quod etiam iure Cæsareo cauetur, adiecto

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

viatico: nam inhumanum esset egenum sine viatico in iter mittere: & qui hoc faceret, quid aliud quam iuberet rapere? Inter propinquos & affines, tum pudebit eos magis segnitia, ac turpitudinis vitæ, tum facilis subsidium inuenient, quam foris. Si vero ex vicis, aut oppidulis sint bello afflictis, hoc loco reputandum, quod Paulus docet, inter baptizatos in sanguine CHRISTI iam nec Græcum esse, nec Barbarum, nec Gallum, nec Flandrum, sed novam creaturam: pro indigenis habendi.

Indigenæ rogandi, an artem norint ullam. Qui nullam norunt, si ætate sunt idonei, edocendi, ad quam dicent se maxime propensos, modo liceat, sin secus ad similem quampiam, ut cui non licebit suere vestes, suat quas caligas nominant. Sin est pronectior, aut ingenio nimis tardo, facilior aliqua tradatur, denique ea quam nemo non paucis diebus perdiscat: fodere, 27 haurire aquam, baiulare, monotrochon trahere, apparere magistratui, viatorem esse, aliquò proficisci cum literis aut mandatis, equos agere perpetuarios.

Qui fœdis modis & per turpitudinem facultates prodegere, ut in su, scortis, luxu, gula, alendi quidem, nam nemo est fame occidendus, cæterum ijs molestiores imperetur operæ, & victus tenuior: ut alijs sint exemplo, & ipsos prioris vitæ pœniteat ne facile in eadem vitia relabatur, cohibiti etiã inopia victus, & laborum duritia, non sunt macerandi fame, macerandi tamen.

His omnibus non deerunt officina, in quibus recipiantur. 28 Qui lanificiũ Armenterij exercent, imò ple-

riq; omnes opifices queruntur de raritate ac infrequentia operarum: & qui serica Brugenſia contexūt, conducereut quosuis pueros tantū ad gyrandum quasdam rotulas, hisque numerarent quotidie singulos stuferos plus minus, præter cibarium, nec possunt inuenire, qui hoc agant: nam parētes eorum aiunt plus illos domum referre ex mendicatu.

Sed publico nomine singulis opificibus certus assignetur numerus eorū, qui per se nequeunt officinam aliquā nancisci. Si quis tantum in sua profecit arte, officinā aperiāt. Tum his, tum etiam illis, quibus tyrones aliquos magistratus assignarit, & ea quibus publice ciuitas vititur: quæ sunt permulta, velut imagines, statuae, vestes, cloacæ, fossæ, edificia locentur faciendæ: & ea, quæ hospitalibus erit opus, vt fortuna à principio pauperibus datæ inter pauperes consumantur. idem episcopis, collegijs, abbatibus consulerem, sed aliàs ad hos scribemus, & spero aliquando illos id sua facturos sponte, etiam si nullus moneam.

Quibus non fuerit adhuc vel de domino, vel domo prospectum, ij tantisper alantur aliquo in loco de eleemosynis: sed ne cessent interea, ne per otium discant desidiam: in eadem domo detur prandium aut cæna viatoribus sanis, & viaticuli nonnihil, quātum sat erit vsq; ad proximā urbem, qua est illorum iter.

In hospitalibus qui validi sunt, & illic hærent tanquam fuci fruētes alienis sudoribus, exeant, & ad opus mittantur: nisi iure aliquo illic eos manere oporteat, velut gentilitio, vt quibus hoc munus relictum

30 est beneficio suorum maiorum, aut qui de facultatibus suis illi domui impartiti fuerint.

Tum cogantur ibi laborare, ut fructus operis sit communis: si quis alius illic sanus & valēs charitate domus & veterum sodalium, idem sibi permitti rogauerit, fiat ei remanēdi copia eadem lege. Ex bonis olim in eiusmodi vsus collatis nemini delitiri liceat.

Nam sunt qui ex ministris facti sunt domini: & mulieres mulieres delicate vinētes cultu splendido, in origine ministra pij operis ad ministrandum ascitæ, nunc exclusis pauperibus, aut maligne habitis superba domine: adimatur hoc eis ne ex substantia exilium pauperum pinguescant: agant, propter quod illuc venerunt. intentæ sint ministerio infirmorum, similes viduis illis ecclesie nascentis, quas tantopere laudāt apostoli. quod supererit temporis orent, legant, neant, texant, occupatæ sint bono aliquo & honesto opere, quod etiam ditissimis ac nobilissimis matronis Hieronymus præcipit. Nec cæcos patiar otiosos vel sedere, vel obambulare, sunt permulta in quibus se exerçant, alij ad literas sunt idonei, studeant: in nonnullis horum progressus videmus eruditionis haud pœnitendos: alij ad artem musicā, cantent, pulsant fides, inflent tibias: alij vertant trusatiles molas, alij trahant torcularia, alij agitent folles in ferrarijs officinis, capsulas, cistellas, canistella, caneolas scimus cæcos componere: cæca nent & filum conglomerant: nolint modo desiderare, nec opus refugiant: facile in quo sint occupati, inuenient. Segnities & socordia in causa est, cur ne-

gent se quicquam posse, non corporis vitium. infirmis quoq; & senibus suggeratur lenia, pro etate & valetudine, quæ operentur: nemo tam est inualidus, cui omnino vires defint alicui rei agenda: ita fiet, vt cogitationes & prauis affectus animi, qui otiosis subnascuntur, occupatis & operi intentis cohibeantur.

Repurgatis eiusmodi hospitalium sanguisugis, expensis & annuis redditibus, & presente & numerata pecunia, considerentur vires vniuscuiusq; hospitalis, donaria & supernacua ornamenta incûda pueris aut auaris magis quàm pijs vtilia distrabantur.

Tunc mittantur ad vnumquodq; eorum ex ægris mendicis quot satis esse videbuntur: modo ne victus tam restet eis artus, vt vix sedet dimidiâ famem: quod providendû in primis est ægris vel corpore, vel animo: nam isti egrescunt magis inopia alimentis. Sed delitiæ absint, vnde possent facile male assuescieri.

Et quia de mente captis locus admonuit, **Quum Insani.** nihil sit in mûdo excellentius quàm homo, nec in homine quàm ipsa mens, præcipua danda est opera, vt hæc valeat: summumq; hoc beneficium cõsendum est, si aliorum mentes vel ad sanitatē reduxerimus, vel conseruauerimus in sanitate atq; cõstâtia. Ergo adducto ad hospitale homine mentis emota, principio perspicendum est, vtrum naturalis sit, an fortuita insania: sit sanitatis spes, an penitus desperata. dolendum tanto humani animi rei præstantissimæ incommodo, & ante omnia sic habendus, ne augeatur ei, aut alatur amentia: quod fit furiosis irrisione, lacerassitu,

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

irritatione: fatuis assensu & comprobatione eorū, quæ stulte seu dixerint, seu egerint, atq; incitatione vt ridicule magis desipiant: tanquam subditis fomentis insulsiatati atque stultitiæ. Quid potest dici inhumanius, quàm dementare aliquem, vt risum captes? & ludos tibi de tanto hominis malo facias? Adhibeātur congrua singulis remedia: alijs opus sunt fomenta, & ratio victus, alijs mitis tractatio & comis, vt tanquam feræ sensim mansuescant, alijs institutio: erunt qui coercionem & vinculis egebunt, sed ita his utendum, ne illi magis per hæc efforentur. omnino quoad eius fieri possit, tranquillitas in eorum animos innuenda: vnde facile indicium reddit, ac sanitas mētis.

Si non omnes inualidos mendicos hospitalia ceperint, constituenda domus vna aut plures, quot sufficient illic includendi. conducendus medicus, & pharmacopola & ministri ac ministræ: sic fiet, quod à natura, & ijs qui naues fabricant, vt sordes vnum in locum conferantur, ne reliquo noceant corpori, proinde qui tetro, aut contagioso tenentur morbo, seorsum cubent, & sumant cibum, ne ad alios serpat fastidium, aut infectio, vt nunquam sit morborum finis.

Quum quis conualuerit, eodem modo habendus, quo reliqui valentes: mittendus ad opus: nisi pietate quadam malit arte sua alijs illic prodesse.

Egenis, qui domi se continēt, suppeditandum opus de publicis illis, aut hospitalibus: nec à ciuibus deerit: & si necessitates suas approbarint maiores, q̃ vt satis sit, quod reddit ex labore, addendum quantum

videbitur sufficere.

Necessitates pauperum humane atque affabiliter quaestores examinent, nihil detur sinistris interpretationibus: ferocia ne utatur, nisi si necessariam censuerint aduersus refractarios & detrectatores publici imperij.

Sanciat hanc lex. Si quis rogarit, aut gratiam, vel **Lex.** auctoritatem suam interposuerit, quo alicui detur pecunia necessitatis nomine, ne impetret: & multa esto, quae senatui videbitur. Tantum liceat admonere, esse, qui indigeat: reliqua praefecti eleemosynarum, aut quos senatus assignarit, cognoscant: fiatque eleemosyna, prout flagitabit necessitas. Ne quando in posterum locupletes homines ari suo parcentes de fortunis pauperum postulent ministris, familiaribus, affinibus, necessarijs suis erogari, quod eripiat ijs, qui maxime indigent: & incipiat gratia egestates excludere, quod in hospitalibus videmus contigisse.

CVRA PVERORVM.

PVeri expositi habent hospitale, ubi nutriantur: quibus sunt certa matres, eos ipsae usque ad sextum annum enutrient: postea transferantur ad publicam scholam, in qua literas, & mores discant, ibi alantur.

Huius scholae praesint viri, quantum fieri poterit, urbane ac ingenue educati, qui mores suos in rudem scholam transfundant. Nam pauperum filijs a nulla re est maius periculum, quam a vili, & sordida, & in- **Civilise-** civilis educatione: in eiusmodi magistris accersendis, ducatio.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

magistratus ne sumptibus parcant: magnā rem præstabunt civitati, cui præsumunt, exigua expensa.

Sobrie discant vivere, sed munde, ac pure, & esse contenti parvo, ab omnibus arceantur voluptatibus: nec delitijs, aut ingluvie consuecant: neque gula sint mancipati, cui quum deest, quod ex libito suppeditetur, discusso pudore omni, mendicant: quod videmus à quibusdam fieri, simul primum deest, vel sinapis, aut quid simile.

Nec solū discant legere, & scribere, sed in primis pietatem Christianam, & rectas opiniones de rebus.

Puella.

Idem dictum sit mihi de puellarum schola, in qua tradantur prima literarum rudimenta: & si qua est literis idonea & dedita, sinatur aliquanto progredi longius, modo spectent omnia ad meliores mores, discant rectas opiniones, & pietatem: tum nere, suere, texere, acu pingere, peritiam culinæ, & rei familiaris, modestiam, sobrietatem, comitatem, pudorem, & primum omnium tueri castitatem, persuasæ hoc esse vnicum fæminarum bonum.

Postea ex pueris aptissimi quique ad literas retineantur in schola, futuri aliorum magistri, & seminario deinceps sacerdotum: reliqui transeant ad opificia, ut cuiusque fuerit animi pronitas.

CENSORES ET CENSURA.

CReentur ex senatu per singulos annos cēsores bini gravissimi viri, & probitate spectatissima: qui in vitam & mores pauperum inquirant, puerorum, iuvenum senum: pueri quid agant, quid profi-

ciant, quibus sint moribus, qua indole, qua spe, & si quid peccent, quorum culpa: omnia corrigantur.

Iuvenes & senes an iuxta leges de se latas vivant: in vetulas accuratissime inquirent, primarias artifices lenocinij & veneficij. Quam omnes parce & sobrie vitam degant. Castigentur, qui ludos aleatorios, qui vinarias, aut ceruisiarias tabernas frequentant, si non profit vna atque altera obiurgatio animaduertatur in eos.

Pœne statuendæ, vt in vnaquaq; cinitate visum fuerit ijs, qui in ea plurimum pollent prudentia: non enim eadem omnibus locis, aut temporibus congruunt: & alij alijs magis mouentur.

Diligenter cauendum à fraude hominum otiosorum & segnium, ne fallant.

Vellem etiam vt iidem censores de iuuentute & filijs diuitum cognoscerent: esset hoc cinitati vtilissimum, si cogerent eos rationem magistratibus tantumquam patribus reddere, quemadmodum, quibus artibus, atque occupationibus tempus dispensent: maior esset eleemosyna hæc quàm multa florenorum millia egenis erogare. Erat hoc olim cēforia dignitate apud Romanos, & Areopagitica apud Athenienses prouisum, sed obsolescente integritate veterum morum, à Iustiniano Casare renouatum est in collatione de quæstore: qua iubetur, vt de omnibus, tam sacris, quàm profanis personis, quacunq; conditione, & fortuna inquiretur: qui sint, vnde venerint, qua de causa. Eadem lex neminem patitur otiosum degere.

Cēsores
iuuentu-
tis.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE
DE PECVNIA QVAE HIS

sumptibus sufficiat.

BELLE quidem tu haec, dicet aliquis, sed unde facultates ad ea omnia? ego vero tantum abest, ut defuturas credam, ut etiam superfuturas liquido videam: non modo ut quotidianis illis necessitatibus, sed etiam extraordinarijs subueniri queat: cuiusmodi passim in singulis ciuitatibus permultg accidunt.

Ecclesie Olim quidē quum adhuc ferueret sanguis **CHRI**
pecunig. **STI**, omnes proiciebant opes suas ad pedes apostolorum, ut ipsi iuxta necessitates vniuscuiusq; distribuerent: eam curam deinceps repudiarunt apostoli, tanquam se indignam: quippe decebat magis eos concionari, docere euangelium, quam pecunijs vel corro-

In act. a- gendis, vel erogandis occupari. Itaq; id munus dia-
postolo- conis mandatum, ne isti quidem retinuerunt diu: tan-
rum. tum erat studium docendi, euehendi pietatem, prope-
randi ad aeterna illa bona per pulchram mortē. Itaq; de collectitia pecunia prophani ex Christianismo e-
genis suppeditabant quod cuiq; erat opus. Gliscente
vero Christiano populo, multis admissis non admodū
probis, cœptum est ab aliquibus administrari nego-
zium haud bona fide. Episcopi & sacerdotes charitate pauperum opes illas ad subleuandos inopes collatas iterum in suam curam receperunt. Nihil enim eo tempore non credebatur episcopis viris probitatis ac fidei explorata & percognita. Quam rem Ioannes Chrysostomus quodam loco refert. Postmodum vero refrixit magis ac magis ferox ille cruentis **CHRI-**

ST I, & spiritus domini communicatus est paucioribus, cœpit ecclesia mundum æmulari: & cum eo pompa, fastu, luxu, certare. Iam Hieronymus cōqueritur 32
 præsides prouinciarum lautius in monasterio cœnare, quàm in palatio: ad eos sumptus opus erat grandi pecunia. Ita quod pauperum fuerat, in rem & facultates suas episcopi & presbyteri verterunt. Vtinam tangeret eos spiritus dei, & ad memoriam reducerent, unde habent, à quibus data, qua mente: & recordarentur, se ex substantia impotentium potentes esse: & quod illis inuitis fieri non licet, fieret illis uolentibus, ac libentibus, etiam præbentibus se capita, & duces ad rem præclarissimam, imitati diuini Exuperantium, & alios sanctos episcopos. Eorum munus est docere, consolari, corrigere, quantum ad animos: tum corpora sanare: quod facerent si tam CHRISTO fideret, quàm uolunt alios fidere ad sua comoda. Sed hoc cōmune est malum: unusquisq; nostrū bonitatis, quam ipse non præstat, seuerus est ab alio exactor. Egenis de suo etiam minimo succurrere, Pauli exemplo: in summa perfectissimum esse in charitate ut omnia omnibus fiat, nec humilitatē despiciat, quin ad eam se demittat, ut prosit: nec altitudini cedat per uerbū CHRISTI, ut ædificet. Hi, & abbates, & alij ecclesiastici præfecti, si uellent maximam egenorū partem subleuarent magnitudine prouentuum. Si nolunt, CHRISTVS erit vindex: uitandus semper tumultus, & civilis discordia maius malum, quam sit pauperum pecunias detineri: nec
 f. j.

IOAN. LODOVICI PIVIS DE

enim vlla quamlibet ingens pecunia debet esse Christianis tanti, vt propter illam arma induantur: omnino seruendū est publicæ trāquillitati, quā CHR

- 1. Tim. 2** S T V S præcepit: & Paulus magistrum secutus. Nec pauperes id debent optare, vt tumultus in ciuitate vllus existat, quo sit ipsis profectum: quum eos deceat esse mortuos seculo, incumbentes noctes & dies in cogitationem finis peregrinationis huius ad portū
Luc. 16 & patriam illam in qua audiāt, Lazarus recepit mala in vita sua, ideo nunc recreatur & reficitur.

Ergo prouentus hospitalium annui, redigantur ad summam, nec dubium, quin attributo opere, quod agant, quibus adsint vires non solum eis, qui in hospitalibus viuunt, reditus sufficient, sed etiam impartiri ex eis poterit externis. Nam opes hospitalium in vnoquoque oppido dicuntur mihi esse tantæ, vt si recte dispensentur, abunde sit i subueniendis omnibus ciuium necessitatibus & ordinarijs, & subitis, ac extraordinarijs.

- Hospitalia ditia tenuioribus impartiant de superfluo suo. quod si nec tenuiora indigeant, dentur super-
charitas uacua illa egenis occultis. Nec solū charitas CHR
omnia cō S T I sic per vniversam sese ciuitatem diffundat, vt
plecti- totam eam velut domū quandam efficiat concordem,
tur. & bene inter se consentientem, ac vnumquēq; omnibus amicū, sed etiam foras exeat, & totum Christianum orbem complectatur: fiatq; quod inter apo-
Acto. 4. stolos fuisse legimus: multitudinis credentiū erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possi-

debat, aliquid suum esse dicebat. Verum erant illis omnia communia: nec quisquam egens erat inter illos. Itaq; & hospitalia locupletia & viri opulenti, quum iam in suis ciuitatibus deessent, cū quibus copias suas communicarent, æquum esset, vt ad vicinas, vt ad longinquas etiam mitterent, vbi indigētia essent maiores: hoc est vere Christianis faciendum.

Hospitalibus singulis bini suffragijs senatus assignentur curatores viri spectati, & in quibus multum valeat respectus dei: hi quotannis rationem reddant senatui administrationis suæ: si placeat fides, continetur eis munus: sin aliter, creentur noui.

Tum vnusquisque moriens, aliquid pro facultatibus solet legare pauperibus: exhortandus est, vt pompe funeris inbeat detrabi, quod egenis prosit, hoc gratius apud dominū funus, nec ad homines inglorium, sed migraturis è vita nulla debet esse gloriæ cura, vel laudis, nisi à deo.

Et in funere visceratio præbetur, & distribuitur panis, addita pecunia, aut alijs rebus per tesseram, quam quidem conuenit esse liberā in primis exequijs, & post annum vertentem ijs qui res defuncti curāt.

Deinceps ecclesiæ relicta cognoscant præfecti eleemosynis quemadmodum distribuatur: ne illis detur, qui minime egent.

Si hæc omnia non sufficiunt, proponantur arculæ in tribus aut quatuor præcipuis templis oppidi, & in quibus sit maxima frequentia: in quas quisq; quātum suaserit deuotio, iniiciat: nemo erit, qui non malit de-

f. ij.

IOAN. LOD OVICI VIVIS DE

cem stuferos illic collocare, q̃ in mendicis circumua
gātibus minutas duas, sed nec singulis hebdomadibus
proponantur arcule, nisi quum indigentia compellet.

Præsides Hisce arculis præsent bini honesti ac probi viri,
elemosy non tam diuites, quam quod in eiusmodi muneribus
ne. ante omnia spectandū est, animo minime rapaci, vel
sordido, electi à senatu.

Nec colligatur, quātum poterit: sed quantum suf-
ficiet in singulas hebdomades. ad summum plus pau-
lo, ne illi assuescant grandem pecuniam tractare: ne
idem eis contingat, quod quibusdam ex ijs, quibus de-
mandatur cura hospitalium: quid hic fiat nescio, nec
scrutor studijs meis intentus. Sed in Hispania fando
de maioribus natu audiebam, esse multos, qui censi-
bus hospitalium domos suas in immensum auxissent:
dum se ac suos pro pauperibus alerent: ades suas fre-
quentes familia facerent, hospitalia pauperibus in-
frequentia: hæc ex opportunitate promptæ pecunie
tam numerosæ.

Reditus Quocirca nec reditus posthac emanantur pauperi-
nō emen bus: nam hoc prætextu pecunia apud rectores hospi-
di. talis detinetur, & interea dum redditui colligitur pe-
cunia, dum afferuatur: quoad emere liceat, pauper
fame & miseria contabescit, ac perit.

Quod si magnus pecuniæ numerus apud eos sit, qui
elemosynis publicitus præsent: detrahatur, vt pau-
lo ante dixi: quod & mittatur indigentioribus locis.
Nam ingens pecuniæ vis ita cupiditatem sui auget,
vt eam tractantes ægrius ferant quicquam ex illa

impartiri, quàm de modica summa. Neccessaria vero Pecunia afferuetur penes senatum iureiurando & diris atque neccessari-
imprecationibus consecrata, ne in alium vsum ver-
tatur: & expendatur ad primam occasionem, ne mos
sit quicquam habere diu reconditum. Nunquam enim
decrunt qui indigeant, iuxta prædicationem domini.
Pauperes semper habebitis vobiscum.

Providendū ne aliquādo sacerdotes obtēta pieta-
tis, & missarū, vertāt pecuniam in rem suam: ij præ-
sertim quibus satis est prospectū, nec egent pluribus.

Siquando non suffecerint eleemosyna, adeantur lo-
cupletes viri, & rogētur, vt adiuvant pauperes, quos
sic deus commendavit, vt saltem mutuent, quod sit
opus: idq; eis postea, si ita velint, abundante magis
eleemosyna, bona fide repræsentetur.

Tum ciuitas ipsa detrahat aliquid publicis sum-
ptibus: velut solennibus epulis, xenijs, lantitijs, con-
giarijs, annuis ludis, & pompis, quæ omnia ad volu-
ptatem, aut superbiam, aut ambitionem faciunt. Nec
dubito, quin princeps æquo animo seu verius læto ac-
ciperet minore apparatu excipi se, modo sciret, quos
in vsum expēderetur ea pecunia, quæ profundi in eius
aduentū sit moris. Quod si non boni consuleret, profe-
cto pueriliter esset ac stulte ambitiosus vel ineptus.
Sin vero ciuitas hoc nolit facere, certe mutuet, quod
postmodum recipiat maiore eleemosynarum proven-
tu: omnino eleemosyna libera sit, quemadmodum Pau-
lus inquit: Vnusquisque sicut destinavit in corde suo 2. cori. 9
non ex tristitia, aut ex necessitate: nemo enim cogen
f. liij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

duſ eſt benefacere, alioqui nomen hoc perit.

Hæc omnia indubie etiam redundabunt. Verum in tam pio negotio non ſunt humane vires expendendæ, ſed ſolum diuinis confidendum: aderit dei benifidendi. gnitas ſanctis conatibus: hæc multiplicabit, & diuitibus ea, ex quibus eleemoſynas largiuntur, & pauperibus, eleemoſynas verecunde petitas, pie acceptas, ſobrie diſtributas: omnibus enim proſpicit dominus, cuius eſt terra & plenitudo eius: ille abundanter creat omnia ad uſus noſtros. tantum à nobis repoſcit promptam & veram voluntatē, & affectum pro tam immenſis beneficijs gratum.

Exemplis declaratum hominibus eſt quamplurimis, cœptum eſſe à quibuſdam ſanctum opus cum nonnulla eorum ſolicitudine ac etiam deſperatione, non ſuffecturas facultates viresq; quæ in id eſſent prouiſæ. Sed opere procedente, ita rem eſſe auctam, vt iidem illi qui negotio præſuiſſent, cogerentur admirari, per quoſnam occultos meatus incremēta illa eſſent ſubmiſſa. Experimentū vnum pro innumeris ex veſtra pauperum puerorum ſchola ſumite, quam annos abhinc decem ijs initijs inchoaueratis, vt duodeviginti duntaxat pueri illic ſuſtentarētur, & ſubuehebamini, ne non ſuppeteret, vnde poſſetis inſtitutū hoc tueri, nunc centum plus minus ſuſtentantur, afluentibus facultatibus, vt ſuperſint etiam pluribus alendis, & quum extraordinarij ſuperueniunt, non deſit, quod edant. Scilicet largitate dei vniuerſa ſuſtentantur, aluntur, viuunt, conſiſtunt, non opibus,

non ope propria, non consilijs humanis. Quocirca in pijs rebus aggrediēdis nefas est considerare quid possis: sed quantum fidas ei, qui potest omnia.

Pauperes ipsi, qui non laborant, discant non multa habere in longum tempus prouisa, vnde crescit securitas, minuitur erga deū fiducia: non humanis præsidijs fident, sed CHRISTO solo, qui adhortatus est nos, vt curam alendi nostri ad se & patrem suum remittamus, qui ea pascit ac vestit, quæ nec serunt, Matt. 6 nec metunt, neq; texunt, neq; nent. Agant velut angelicam quandam vitam puris ac moderatis animis intenti precibus, pro se primum, hinc pro salute eorum, à quibus fuerint adiuti, vt dominus IESVS dignetur eis retribuere centuplum illud in illis semper eternis bonis.

DE IIS, QVI VEL SVBITA

aliqua vel occulta necessitate vrgentur.

NEc succurrendum modo pauperibus, qui ijs carent, quæ in diem ad vitam pertinent, sed illis etiam, quibus subitus aliquis casus ingruit, velut captiuitas in bello, carcer ob debita, incendium, naufragium, eluuiēs, multa morborum genera: deniq; innumera fortuita, quæ honestas affligunt domos: his accedunt puellæ tenues, quas sepe numero inopia ad abutendum pudore adigit. Enimvero ferendum non est in ciuitate non dicam Christiana, sed nec gentilitia, modo humano viuatur more, quum alij ita diffluant opibus, vt aliquot aureorum millia in sepulchrum, aut turrim, aut vanū adificium, aut epulum, f. iiii.

aut munus publicum effundant, propter quinquaginta, aut centum florenos periclitari pudicitiam virginis, salutem & vitam honesti hominis, virum cogi deferere uxorem & paruos liberos. Tum & captivi redimendi: quod etiam inter præclara beneficia à veteribus philosophis numeratum est: vt Aristotele, Cicerone, ac alijs. Sed prima habenda eorū ratio, qui duram seruitutē apud hostes perferūt, quales sūt Christiani in potestate Agarenorum: qui quotidie de defensione à fide periclitantur, hinc negotiatorū, & quū inermes peruenerunt in manus hostiū, armatis enim vltima debetur miseratio: qui alijs caussa sunt tot malorum, ex clausis carcere primi sint illi, qui casu magis, q̃ sua culpa deuenerūt in paupertatem, vt soluendo non sint: hinc qui diutius detenti sunt in custodia.

Eius vero qui aliquādo felix fuerit, nec turpi sua culpa factus sit miser, vebementer miserendum, siue admonitu communis sortis, & tanquam exempli cuiusdam aliorum, siue quòd is duriores experitur miseriam, cui aliquis remanet felicitatis sensus.

34 Nec expectandum, dum ingenue educati necessitates suas exponant: diligēter sunt subodorandæ, & eis clam succurrendum. quod quum alios permultos fecisse memoria proditum est, tum Archesilaum, qui pului no dormientis amici, & pauperis, & ægri, & vtrunque prę verecundia dissimulantis, grandem anri summam supposuit, vt experrectus inueniret, quo inuaretur, sine damno verecundiæ: videlicet providendum est, ne pudice ac liberaliter instituti, dum beneficio in-

quantur, suffundantur pudore, qui illis esse gravior so-
let, quàm beneficium, vel vtile, vel gratum.

Idem illis quibus parœciarū curam delegauimus,
occultas istas necessitates inuestigabunt: & ad sena-
tum ac locupletes homines perferent tacitis nomini-
bus, quousq; subuenietur. nam præstabit illis ipsis in-
digentibus coram benefieri: tum vt sciāt, quibus sint
habitori gratiam, nec vlla sit vtrinq; suspicio tan-
quam ij per quos sit datum, aliquid de munere inter-
uerterint. Nisi tanta sit egeni dignitas, vt in illud
pudoris discrimen adduci non debeat.

Ergo subiiciet quispiam, si his quoq; succurrendū, Benefa-
nullus erit finis dandi? Ecquid potest cogitari bea- cere bea-
tius, quàm nullum esse benefaciendi modum? rem a- tiffimum
trocem dixisti, putabam te conquesturum, defuturos
aliquādo, in quos sis misericors: debes quidem optare
aliorum causa, nequis sit, qui aliena ope indigeat, tua
verò vt nunquam desit tibi materia tanti lucri, quo
æterna pro perituris, & ijs quæ varijs sunt casibus
obnoxia, commutes.

Hæc quidem videntur mihi hac occasione rerum Modera-
facienda: fortassis non expediet omnia sic vt à nobis tio dicto
præscripta sunt, in quaq; ciuitate, & omni tempore rum.
seruari: id prudentes ex vnoquoque populo viderint,
& suæ ciuitati pietate patriæ recte consulant: finem
certe, & mentem, & scopum eundem præstitui, semper
vt autumo & omni loco expediet ac oportebit. Quod
si non omnia eodem conducet agi tempore, quod rece-
pta cōsuetudo fortassis nonationi obstabit, licebit vti

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

arte, & initia faciliora induci, deinceps sensim, quæ
difficiliora existimabuntur. Nihil est tam probe in-
stitutum, quod omni & loco, & tempori congruat, id-
circo præsto erit prudentia quæ prospiciat singulis.
Seditio in primis denitetur acerba pestis civitatis.

DE IIS, QVI NOVAS HAS
constitutiones improbabunt.

ET quannis virtus ipsa pulcherrima sit ex se-
se, atq; expetenda: habet tamen non paucos ho-
stes, qui specie ac probitate illius vehementer offen-
duntur, tum quod moribus ac delitijs ipsorum aspe-
ra & infensa est, sic mundus pugnavit semper & pu-
gnabit cum lege CHRISTI, cuius fulgorem te-
nebræ illæ & vitiosi oculi ferre ac perpeti non possunt.
Ita in proposito negotio, etsi, quemadmodum quivis
modo non iniquus censor, facile indicabit, eò spectent
omnia, ut subueniatur necessitatibus hominum, suble-
ventur miseri: tamen in tanta humanitate ac bene-
ficentia, non deerunt, qui vel calumnientur aliquid,
vel certe moleste ferant. Quidam enim quum nihil
audiunt aliud, quàm tolli pauperes, existimant pelli
eos, clamant inhumanum factum, miseros homines
sic eiici: quasi vero nos expellamus, aut id agamus,
ut sint miseriore: non hæc nostra est mens, sed ut
eximantur è miseria, è luctu & calamitate illa sua
perpetua: ut habeantur pro hominibus, & digni sint
misericordia. Sunt qui volunt theologi videri, idcirco
aliquid ex euangelio adducunt: nihil interest quam ad
rem, prædixisse CHRISTVM dominum & deum

Ioan. 15

mat. 26

nostrum. Pauperes semper habebitis vobiscum: quid iam? num non etiam prædixit futura scādala? & Pau Matt. 18
 lus fore hæreses: ne subueniamus igitur pauperibus, 1. Cori. 2
 nec offendicula vitemus, nec resistamus hæresibus,
 ne illi mētiti videantur. Dij meliora. Non prædixit
 CHRISTVS pauperes semper nobiscum futuros,
 quòd id ipse vellet: nec scandala euentura, quòd ei
 placerent. Quippe nihil commendauit nobis accura-
 tius, quàm auxilium inopum: & illum execratur, qui Matt. 18
 offensionem causam præbuerit. Sed quia & imbecillita-
 tem nostram nouerat, qua ad paupertatem deuol-
 uimur: & malitiam, qua non statim lapsus erigimus:
 sed iacere & contabescere patimur, idcirco pauperes
 semper nos habituros prænūtiat: eadem causa de of-
 fensionibus, & de hæresibus Paulus, quas ex corrupta
 hominum natura multisq; contemnerata vitijs nasci-
 turas sciebat: & tamen eundem obuiam voluit, quum
 exorirentur, vt ad Titum, potens sit episcopus do-
 ctrina sana: & eos qui cōtra dicūt arguere. Ergo istis
 prædictionibus non sic iubet nos CHRISTVS a-
 gere, sed sic videt acturos. Ita & hæc nostra consilia
 non tollunt pauperes, sed subleuant: non impediunt,
 quo minus aliquis sit pauper, sed ne diu sit: porrecta
 ilico manu, vt assurgat. Vellē in totū efficere posse-
 mus, ne vlli essent in hac ciuitate pauperes, non me-
 tuerem periculum, ne falsum CHRISTVS di-
 xisse putaretur, essent abunde multi in alijs. Nec so- Pauper
 lum pauperes sunt qui carent pecunia, sed quicunq; quis,
 vel viribus corporis, vel sanitate, vel ingenio, & in-

dicio, sicut à nobis initio operis explicatum est. Adde
 quòd nec minus dicendus est pauper etiam pecunia,
 cui vel in hospitali, vel in casula sua tennis victus
 suggeritur, non ipsius vel industria, vel opere quasi-
 tus, sed alieno prorsum beneficio. Iam vero vtri fa-
 ciunt inhumanius, qui pauperes in illis suis sordibus,
 squalore, vitijs, flagitijs, impudentia, impudicitia,
 ignorantia, demètia, calamitate, miseria volunt com-
 putrescere, an qui viam excogitant, qua eos illinc ere-
 ptos ad ciuiliorem, & puriorem, & sapientiorem vi-
 tam traducant, cum tanto lucro tot hominum inuti-
 lium ac perditorum? Itaq; agimus nos, sicut ars medi-
 ca, quæ non adimit morbos hominum generi, sed quoad
 eius fieri potest, sanat. Vtinam lex CHRISTI
 in animis & pectoribus nostris valeret: vtq; effica-
 cior esset, quàm medicina cognitio: perficeret hæc, ne
 ulli essent inter nos pauperes: sicut nec fuerunt na-
 scente ecclesia, quemadmodum narratur à Luca in A-
 ctis apostolorum: nec essent scandala, nec hæreses: sed
 quia prægrauabūt nostra scelera: & homines non tam
 corde & actionibus vitæ Christianum nomen profite-
 buntur, quàm ore: idcirco nunquam pauperes, offen-
 siones, hæreses deerunt. Erunt fortasse nonnulli, cu-
 iusmodi in publicis consilijs esse solēt: qui quo habeantur
 sapientiores, magnamq; ex ea opinione autori-
 tatem sibi concilient, nihil probant, nisi quod à se sit
 profectum. Hi male profecto sentiunt non solum de
 hominibus, sed etiam de deo ipso, qui vel credūt, vel
 alij volunt esse persuasum illum in alijs suis partu-

bus effœctum, in ipsis effudisse vires omnes ingenij, iudicij, prudentie, eiusmodi Iob irridens inquit, Ergo **Cap. 12**
 vos estis soli homines: & vobiscum morietur sapientia? Equidem haud abnuerim esse aliquos, qui tantum ingenio & dexteritate atq; acrimonia quadam indicij valent, vt cogitando & meditando extendant, quæ fere nullus alius: sed propterea existimare optimû, quod ex te natum, id vero hominis est nimium arrogantis, etiam sicut Terentius dicit, imperiti: qui nihil nisi quod ipse faciat, recte factum indicet. Sed duo **35**
 genera hominum existimo habituros nos infensissima: alterum ex his ipsis ad quos vniuersus benignitatis huius fructus peruenturus est: alterum eorum, qui administratione pecuniarum submouentur. Sunt enim qui consuefacti sordibus & obscœna illa sua miseria educi se ex ea ferant ægerrime detenti dulcedine quadam inertis desidia: dum agere, laborare, industrios & frugales esse grauius morte ducunt. O dura in his conditio benefaciendi, quum hominû flagitia beneficium in iniuriam conuertant. Quid odiosius, quàm beneficium superbe accipere tanquã si lædatis? & damnum interpretari? hoc vitium simillimum est illi Iudeorû, qui authorem vitæ quod benefaceret, inuaret, sanitatem, salutem, lucem afferret, persecuti sunt morte & ignominia affecerunt pro effusissima beneficentia in omnes, quotquot vti vellent: sed vt illi superbia, arrogantia, ambitione, auaritia immersi contumeliam arbitrabantur ab his tam senis dominis liberari: sic isti sordibus, pœdore, impudẽtia, desidia, flagitijs obrui

ti in servitutem se pertrahi existimabunt, si in meliorem conditionem euehantur. Verum CHRISTVM ipsum emulabimur, quem à benefaciendo ingratitudo eorum non deterruit, qui accipiebant utilitates: nec considerandum, quid velit quis accipere, sed quid debeat: non quid ipsi placeat, sed quid expediat: agnoscant beneficium, quum redierit melior mens. Tunc dicent. Senatus Brugensis nos servavit inuitos: quibus si indulgeatis, & obsecundetis eorum desiderijs si quando vel ad temporis punctum oculos ac mentem recipiant, dicent indubie, Senatus nos amando occidit, quod de patre queritur unusquisque filius nimis indulgenter habitus: tum oderunt eos, à quibus in perniciem suam adiuti sunt. Sed ne sit ita, faciamus quod prudentes medici in furentes egros: quod sapientes patres in pranos liberos, ut commoda illorum adiuuemus repugnantium & reclamantium. Denique reipublice officium est, sollicitum non esse quid unus aut alter, aut certe pauci de legibus & administratione sentiant, modo totius civitatis corpori in commune sit consultum. Leges enim etiam malis utiles sunt, vel ut corrigantur, vel ne diu malefaciant. At vero qui pecunias pauperum tractabant, eripi sibi id munus moleste ferent, verba grandia, quae augenda atrocitatis causa conquiruntur, haec & eiusmodi, esse solent. Non esse attingenda tot annorum approbatione confirmata: periculosum esse mores novari, statuta conditorum non mutanda, ruitura protinus omnia. Quibus nos opponemus primum quae pravi mores

confirmarunt, cur non infirmen boni? In illam porro disputationem descendere non audebunt, vtrum præstet, quod nos conamur inducere, an quod ipsi retinere? Iam si nihil est mutandum, cur ipsi primos à conditoribus relictos mores paulatim adeo immutarunt: vt hos pugnare cum illis appareat. Euoluantur acta, interrogetur senum memoria, reperietur quantum hæc administrandi ratio ab illa distet, quæ erat nouo opere, viuente adhuc conditore, aut paulum ante vita functo. Nos hic eos tenemus medios. Nolumus mutari primam institutionem, non patimur institutoris voluntatem irritam fieri, quæ in testamento omni prima, imò sola spectatur. De prima constitutione constat ex actis & memoria multorum. At de voluntate, quis non videt viros illos pecunias & annuos redditus legasse: quibus non explerentur diuites, sed sustentarentur pauperes, oraturi pro anima defuncti, vt à peccatis vite soluta & pura in sedes illas celestes à deo recipiatur. Quod si multum isti in contrarium tendant, nimirum manifesti fient, suam se rem atq; utilitatem tueri, non pauperum: quum nos pauperum curam suscepimus, & tamen ipsi aduersantur: quid tandem spectant? si se, auaritiæ conuincuntur, & declarant sibi illa administrasse, non pauperibus. Nec auaritia hæc turpis tantum est, sed perniciosa & detestanda. Nam quum eripere aliquid diuiti crimen sit, quantum nefas iudicabitur pauperi subtrahere? in furto enim diuiti aufertur pecunia, pauperi vita: sin respiciunt pauperes, senatus vult illis prolixius sub-

ueniri: an eorum interest per quos fiat, modo fiat? & quidē rectissime: sicut de senatu fidei iam olim perspectissima confidendum est. Prædicetur CHRI-
STVS, inquit Paulus, quo modo mea nihil refert: prædicetur modo. At per se id vellent fieri: si deum intuentur, voluntate satisfaciunt: sin homines, ambitio deprehensa est, an etiam queri audebunt, quod vos eorū, vel ambitionis, vel auaritiæ ministros vos ipsos non præbetis? aut tacite non obsequimini. Prætereo cetera, quæ hoc loco possent dici, si quis eorum
37 per tot annos administrationem excuteret: sed camarinam hanc non attingam: nec agitato cœnum istud. Neque vero exiguum illis erit decus non restituisse, non mordicus retinuisse creditam & depositam apud se pecuniam, fauisse miserorum negotio, & se adiunxisse consensui ciuitatis, & tam esse amicos publici decoris, vt illud suum quoque priuatum esse ducant.

NIHIL DEBERE OBSISTERE,
quo minus hæc quæ diximus, fiant.

Multa sunt à gentilibus in omni genere virtutis quum dicta præclare, tum facta graviter & cum dignitate: sed nihil tam constanter, tam fortiter, tam imitatione dignum, quàm quum sic viscere
Patrie
charitas
affixa hereret, vt rumores, iniquas interpretationes, maledicta, conuitia suorum æquis animis exciperent ac perferrent, nec propter illa vel pilo dimonerentur à suscepto consilio patriæ inuandæ, quum ea consilia ipsi reprehenderent, & damnarent qui potis-

simum innabantur: in hoc numero præcipui sunt, Mil-
tiades, Themistocles, Scipio, sed in primis duo, Epami-
nidas Thebanus, & Q. Fabius Maximus Romæ: qui
quum Hannibalem cerneret non vi, sed mora posse
frangi, cunctando bellum trahebat, id solum ad victo-
riam salutare intelligens: hoc eius factum multi otio-
si, aut callide pugnaces homines ita criminati sunt,
tquam vel pactione cum Hannibale id ageret, vel
ambitione, vt diutius esset in imperio & summo ma-
gistratu, vel ignavia & metu, vt tentarint imperium
Fabio abrogare: certe illi dictatori Minutius magi-
ster equitum iussu populi æquatus est, quod nunquam
fando fuerat auditum. Senex inuictus à calumnia &
sustitia suorum, perstitit in incepto, & salutem po-
pulo suo attulit: quem Hannibal indubie cepisset, ni-
si artes obstitissent Q. Fabij. Enētus declarauit, quā-
to vir ille esset animo, qua prudentia, quo amore in
patriam & ciues: vt confessione omnium celebrati sint
illi de eo versiculi, vetusti quidem & rudes, sed ma-
gnifici cum primis elogij, & præstantissimi.

Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Nam non ponebat rumores ante salutem.

Ergo magisq; magisq; viri nunc gloria claret.

Hoc & alij eiusdem mentis, nullo dei respectu fa-
ciebant: quippe quibus non erat Christianus sol ex-
ortus, tantum vel educationem, vel famam, vel de-
cus sue ciuitatis sequebantur. Nos quanto ampliora
& præstantiora decet aggredi, vñ intuitos CHRI-
STVM? humanis viribus neglectis: atque adeo con-

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

temptis & spretis, quibus clarissimus ille sol illuxit qui illius doctrina sumus edocti, quibus commendata & iussa charitas, tãto supplicio si omiserimus proposito, aut præmio si erimus executi: hoc futura mercede ampliare, quo maiores molestias in dei gratiam subierimus. Non ergo approbandum modo consilium hoc sed capeffendum, exequendum: neque enim satis est bene velle, nisi etiã manus operi admoneas, quum se præbet occasio. Humanis impedimentis non decet eos detineri, quos diuina imperia stimulant, & urgent: præsertim quum hæc sequatur & publice & priuatim vtilitates humane ac diuinæ.

COMMODA SI HAEC FIANTE
humana & diuina.

Decus ciuitatis. **D**ecus ciuitatis ingens, in qua nemo visetur mendicus. Nam ista mendicorum frequentia arguit, & in priuatis malitiam ac inhumanitatem, & in magistratibus negligentiam boni publici, furta, flagitia, latrocinia, cædes, capitalia scelera designabuntur pauciora: rariora lenocinia & veneficia, quandoquidem mitigabitur inopia, quæ primum ad vitia & turpes mores, tum ad hæc sollicitat ac impellit.

Quies. Quies maior, vbi erit omnibus prospectum: concordia ingens, quum ditiori non inuidebit pauperior, quin diliget potius ceu benefactorem, nec ditior tenuiorem auersabitur, vt suspectum, imò diliget tanquam sedē beneficij sui, & debitæ gratiæ: natura enim sic fert, vt eos amore prosequamur, quos & beneficio: ita gratia gratiam parit.

Tutius & salubrius, & iucundius erit in templis Salubri-
atque adeo in tota ciuitate versari, non passim inge- tas.
sta oculis vlcerum, & morborum illa fœditate, quam
natura exhorret, animus etiam maxime humanus ac
misericors.

Nec tenuiores cogentur per importunitatem da- Dare.
re: & si quis volet dare nec multitudine medicorum
deterrebitur, nec metu nec indigno.

Maximum ciuitatis lucrum, tot ciuibus factis mo Lucrū ci
destioribus, ciuilioribus, commodioribus patriæ, quiq̃ nitatis.
eam habebunt chariorem, in qua vel ex qua susten-
tantur: nec rebus nouis aut seditionibus studebunt.

Tot mulieribus ab impudicitia renocatis, tot puel Pudici-
lis à periculo, tot vetulis à maleficio. tia muli.

Pueri & puellæ literas, religionem, frugalitatem, ebris.
& vitæ artes docebuntur, quis probe, ac honeste, ac Institu-
pie vita traducitur: omnes denique recipient men- tio.
tem, sensum, pietatem, versabuntur inter homines e-
ducate, ciuilitate, humano more: puras continebunt ma-
nus à flagitijs. recordabuntur dei vere ac bona fide:
erunt homines, erunt quod nominantur, Christiani:
quæso quid aliud est multa hominum millia reddidisse
se sibi ipsis, & acquisiuisse CHRISTO?

Iam diuina illa commoda. Quòd multorum animi 39
religione liberabuntur: qui quum videant debere se Religio.
officijs miserationis defungi, non tamen q̃ inssi sunt
prestare: aliàs indignitate & odio petentium auer-
si, aliàs ob multitudinem voluntate impedita ac ve-
lut sententijs in diuersum tracta, quo primum vel po
g. ij.

IOAN. LODOVICI VIVIS DE

tissimum opem ferant, quum ita multos videant egestate premi, vt cen desperatione quadam nemini succurrant: quandoquidem intelligunt parum admodum quicquid dederint profuturum, tanquam si magno incendio vnā, aut alteram aquę guttulam aspergas. Ergo quibus facultates aderunt, libentius atque ideo copiosius largiētur: leti, quod rebus tam rite sanctęq; constitutis, bono sint loco beneficium posituri: vt simul homines inuent, simul capeſſant **CHRISTI** iussa, magnāq; proinde apud illum gratiam incant. Nec dubium, quin ex alijs quoq; ciuitatibus, quę non similem in modum res pauperum suę curę fecerint, opulenti complures pecunias huc mittent. vbi scient solere optime dispensari: illisq; qui plurimum egeāt, subueniri. His adde, qd tam misericordem populum dominius peculiariter tuebitur, ac vere beatum faciet.

Populus Audite quis populus merito possit beatus dici non cūbeatus. in suis hominis, sed prophete testimonio. Erue me de **Psal. 143** manu filiorū alienorū, quorū os locutū est vanitatem & dextera eorū dextera iniquitatis: quorū filij sicut nouellę plantationem in iuuentute sua: filię eorum compositę circumornatę, vt similitudo templi: promptuaria eorū plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fętuosę abundantes in gressibus suis: boves eorum crassę. Non est ruina macerię, neque transitus, neque clamor in plateis eorum: beatus dixerunt populum, cui hęc sunt. Beatus populus cuius dominus deus eius. Nec temporalia deerunt commoda: exemplo viduę, quę Helix cibum prębuit. Idem **Psalmist**

de ciuitate in qua dominus inhabitat, canit. Vidua
eius seu vt de Habreo vertunt, viatico eius benedi- Psal. 131
cens benedicam: pauperes eius saturabo panibus. &
alio loco ad eandem ciuitatem. Posuit fines tuos pa- Psal. 147
cem: & adipe frumenti satiat te.

Verum omnia superat incrementum mutui amo-
ris, quod fiet communicandis vltro & citro benefi-
cij candide ac simpliciter sine Suspicionē indi-
gnitatis, & hinc præmium illud celeste,
quod paratum esse ostendimus elec-
mosynis, quæ ex charita-
te proficiuntur.

(7)

DE SUBVENTIONE PAU-
perum, seu de humanis ne-
cessitatibus,
F I N I S.

IOSEPHO BANSTIO III.
IOANNE TEMISICIO IIII.
COSS.

✠ FRATER IOANNES MOYAR-
dus Cartusius, lectori Salutem.

Ruditis scio nihil opus esse
scholijs. horum quilibet sibi
dictum putet, quod Plinius
T. Vespasiano: Quum hanc operam
condicerem, non eras in hoc albo: ma-
iorem te scio, quàm vt descensurum
huc putem: humili vulgo ac Romanę
castimonię candidatis hic labor exijt,
qui difficiliore huius libelli locos, hi-
storias, abstrusiora quædam, ac non
passim cuius obuiâ, quò auctiore cū
fructu tam fructuosum opus legatur,
tribus, vt aiunt, verbis explicuit.

V A L E .

ANNO TATIVNCV

LAE EIVSDEM MOYARDI
in libellum de subuentione pauperum, Ioannis
Lodonici Vinis.



Contra arcem tam imbecillā, r
quam acinus vnae herens gut
turi strangulet) Plinius Na
tural. histor. lib. 7. cap. 7. re
fert Anacreontem poetam a
cino vnae passae strangulatum.
Et Fabium senatorem prae
torem in lactis haustu vno pilo. pluresq; incertis caus
sis subito absumptis commemorat in eodem libro. At
horum exemplorum plenus est orbis.

Græcique corpus hoc nostrum soma nominarint, z
quasi sema) Allusio est ad græcam prosonomiam, per
inde ac dicat, paulum soma differt à sema, ita corpus
à sepulchro animæ.

Furiosus ille iuuenis macedo) Alexander Macedo 3
quum audisset philosophos quosdā asserere multos es
se mundos, ingemuit, dolens se vnum tantum acqui
sisse: de quo Iuuenalis,
Vnus Pelleo iuueni non sufficit orbis.

Idem Alexāder filius Iouis voluit haberi, & deus
dici atque adorari.

Numus excogitatus est publica forma tanquam
tessera) Tessera, symbolum est, ac vt rudiore dicam
Minerva, signum ex quauiscunque materia factum,
g. iij.

ANNOTATIVNCVLAE

sive ex auro, sive argento, vel ære plumbœve, aut ligno: quod omnibus eo utentibus æquum & par est, uti modo sunt plumbæ, quorum fide egeri viscerationes, quas vulgo pronas vocant, accipiunt.

- 4 Terentius Culeo senator) T. Linius tertiæ decadis libro 10. circa finem. Dimissi, inquit, ab Romanis Carthaginensium legati quum in Africam venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus pacem fecerunt: naues longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt: inter quos Quintus Terentius Culeo senator fuit. ac post pauca, Secutus, inquit, Scipionem triumphatæ est capiti pileo imposito: omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis authorem coluit. Idem decadis 4. lib. 8. Tradunt Q. Terentium Culeonem Scipionem mortuum elatumque coluisse: & pileatum sicut in triumpho ierat, in funere ante lectum isse. hæc ille. Pileus libertatis erat indicium: unde & Amphitryonis Sosia apud Plautum. Quin & ego hodie raso capite capiam pileum: frequens est apud bonos authores servos ad pileum vocare, id est ad libertatem.

Olim honoratissimum erat captivos de suo redimere: etiam apud gentes, quod Cicero in officiis testatur.) locus est libro Offic. 2. Non uno, inquit, modo in disparibus causis affecti esse debemus. alia causa est eius, qui calamitate premitur, & eius qui res meliores querit nullis suis rebus aduersis: & subdit, hæc benignitas reipublica utilis, redimi è servitute captos.

Reservauitque illi locum,quem prius destinarat, S
 sed duriore iam conditione assequendum) Diuus Au-
 gustinus decimotertio de cinitate dei capite primo.
 Deus, inquit, homines fecit, vt perfunctos obedi-
 tie munere sine interuentu mortis angelica immor-
 talitas & beata eternitas sequeretur. vbi hic noster
 Viues annotauit quòd statutum vniciq; viuendi su-
 per terram fuisset tempus, quo absoluto gustatòq; li-
 gno vitæ confirmata fuisset natura, translatòsque in
 celum immortalitas cōsecuta: vide authorem senten-
 tiarum libro secundo, hæc ille. Eundem itaque locum
 domini I E S V crux reservauit, sed conditione du-
 rior: ea est imitatio sacratissimæ vitæ charitatis ac
 mortis eius.

Sine vnus voluntate regantur omnia, quæ dicitur 6
 monarchia) hæ voces græcæ sunt: monarchia à mo-
 nos, quod est vnus, & archos principatus, quasi vni-
 us principatus. Oligarchia ab oligos, quod paucus so-
 nat, quasi paucorum principatus. Democratia à de-
 mos, quod est populus, quasi populi principatus: non
 equidem plebis: quum populus & plebs differant, vt
 genus à specie: si quidem appellatione populi plebs
 vnà cum senatoribus & magistratibus comprehenditur:
 plebs vero vulgus solum exclusis senatoribus,
 & magistratibus: vt docet Iustinianus Insti. de In-
 nat. gen. & cini. para. plebiscitum.

Consecutaque sunt illos grandia præmia, vt im-
 mortalitate censerentur digni) Plinius naturalis hi-
 storie, libro secundo, capite septimo: vetustissimus

inquit, referendi benemerentibus gratiam mos est, ut tales numinibus adscribant: quippe & omnia nomina deorum ex hominum relata sunt meritis: hinc Saturni, Cereris, Bacchi, ac ut peculiaris quid gentilibus meis dixerim, Osiris Cernisia inventoris deificationes, ut vocant, natae sunt.

7 Beneficium dando accepit, digno qui dedit) versus est prudentis illius Publij Syri Mimographi.

8 Quem delectet vel gignere liberos, vel tollere?) tollere ambigua vox est: hoc loco signat educare: ita Misis in Andria Terentij, hic Pamphilus firmanit fidem: nam quod peperisset Glycerium, iussit tolli, id est educari.

9 Et ex ijs esset, ut inquit Seneca, quae ad vindictam deum remittuntur) locus est in tertio de beneficijs, ubi ita scribitur, Excepta Macedonũ gente, non est in ullam data aduersus ingratum actio, magnumque hoc argumentum dandum non fuisse, quia aduersus maleficium omne consensimus & homicidij, veneficij, parricidij, violatarum religionum alibi atque alibi diuersa poena est, sed ubique aliqua: hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbat: neque absolvimus illud, sed quum difficilis esset incerta rei aestimatio, tantum odio damnamus & inter ea reliquimus, quae ad vindictas deos mittimus.

10 Quam stuferum diuites) stuferus nostratibus patardũ seu solidum Gallicum valet: viginti, florenum renensem faciunt: puto à Budæo in asse sestertium marsulino genere vocari: ita Carolum Gallicũ nominat

qui hodie apud nostrates cum stufero æquatus fere est pretio.

Vt non sine gravissimo consilio videantur Roma- 11
ni submonisse egenos) hoc apud Livium lib. primo, &
Valerium Maximum libro secundo, extreme paupe-
res, nec regebant rempublicam, nec militabant, quod
illis nimia paupertas esset suspecta.

Alij arces construunt aut Pyramides) Pyramides 12
structura sunt è saxis, aut lateribus ab imo ample in
summo acute atque in altam molem eneclæ, ad nihil
quàm effundendum opes inuenta.

Imò vero minutum detrahitur pauperi, si habeat,
& spoliatur nudus) Minutum, minima pecunie por-
tio est: puto vulgo jotam vocari octavam & quadra-
gesimam particulam stuferi, verum quod subdit, &
spoliatur nudus, venusta verborum pugna est: velu-
ti festina lente, infelix felicitas &c. Adagio fertur,
ne à centum quidem fortibus vnum nudum posse spo-
liari: in Iob legimus, Nudū spoliasti vestibus, quod sa-
ne fit, si quando cuique exiguum illud, quod ei neces-
sarium est adimitur.

Nolo apostolorū peregrinationes percensere) Pau- 13
lus 2. ad Corinth. vndecimo fuit, sicuti ait, in itine-
ribus sepe, ad Romanos decimoquinto ab Hierosoly-
ma ad Illyricum vsq; prædicarat enāgelium CHRI-
STI. in epistola ad Galat. meminit profectionis ab
Damasco in Hierusalem vltro citroque: verum quid
in Actis apostolorum, nōne sunt omnia eorum pere-
grinationibus refertissima?

- 14 Ponticis muribus & alpinis amiciris) horum meminuit Plinius nat. hist. lib. octavo, cap. 37. Porro quam stultum est pluris pontici muris pellem quam agni facere? verum apud istos peregrinarum rerum admiratores, vel precipua pretij pars est, de longinquo venisse.

Nihil opus est vetera exempla recensere, quae sunt in scriptoribus gentium innumera) Sūt aliquot apud Senecam in 4. de benefic. Ciceronem, inquit, filium quae res consulem fecit, nisi pater? Atque è regione filiorum splendor patres alioqui obscuros claros fecit. nam, ut in tertio de beneficijs idem Seneca scribit. Quis Aristonem & Grillum nisi propter Xenophontem & Platonem filios nosset? Sophroniscum Socrates expirare non patitur.

- 15 Quid Achilli prodest Ilias Homeri tam cātata? quid Ulyssi Odyssaea?) Nullius opera in tāta celebritate & laude fuisse apud veteres quam Homeri: ita ut maxima rediret fama ad eos, quos in suis operibus, vel semel nominasset: duo Homeri sūt poemata precipua, Ilias & Odyssaea in hac Ulyssis describit errores, in illa vero bellum Troianum ac potissimum Achillis gesta.

Quid Alexandro tot per orientem Alexandria?) Alexander Macedo cuius antea mentionem fecimus, plurimas condidit vrbes per eam regionē Asiae, quam subegit. Niceam, Bucephalim ab equi sui nomine, plurimas tamē immortalitatis nominis sui studiosus vocavit Alexandrias: quarū nominatissima est illa Aegy-

IN EVNDEM LIBELLVM.

pti ad vñũ ostiorũ Nili fluij. Ex Quinto Curtio.

Quid comitibus Flandriæ auratæ statuæ pro Burgo posite?) Burgus vocabulum est Germanicum, quo nunc significatur arx. Brugis vero Burgus locus est in medutlio ciuitatis vbi curia senatorum: & ibi statuæ auratæ & variegatæ comitum Flandriæ à Balduino ad Philippum Caroli huius patrem.

Dens est, inquit Plinius, mortali inuare mortalem) locus est lib. natur. hist. 2. cap. 7. Dens est mortali inuare mortalem, & hæc ad eternā gloriam via. Quod & alijs verbis noster apostolus ad Galat. sexto, Alter, inquit, alterius onera portate, & sic adimplebitis legem CHRISTI.

Tanquam legitimus filius nothum) nothus per aspirationem idem est quod adulterinus, ac vt iurisconsulti vocant, illegitimus.

Qui tertio ab hinc anno in Bethica extincti sint fame) Bethica est pars Hispaniæ à Bethi amne, quæ nunc Andalusia dicitur, vt à Viue ipso accepi, vbi fuit atrox fames anno 1522, qua multi periere.

Ad Architam Pythagoricum Plato scribit, non nobis solis nati sumus) recitatur & à Cicerone primo offic. vbi & subdit. Placet Stoicis, quæ in terris gignuntur ad vsum hominum omnia creari: homines autem hominum caussa esse generatos.

Homo sum, humani nihil à me alienum puto) vti nam omnes ita cum Chremete sentiremus, cuius hæc vox est ad Menedemum in Heautonti. Terentij.

Loth ab incendio & ruina quinque vrbiũ exem-

ANNOTATIVNCVLAE

- ptus est: harum Hiero. meminit Osee cap. vndecimo.
- 19 Iuxta priscum verbum, quod à Pythagora & Pythagoricis profectum) Aulus Gellius nocturnum atticarum libro primo, cap. 9. testatur Pythagoram non solum huius sententiae parentem fuisse, verum & huiusmodi vitae communionem induxisse. Nam quicumque ab illo in disciplinarum contubernium admissus esset, debebat & facultates communes facere. Auspicatus est etiam Erasmus labētis iam literaturae perpetuus vindex hoc adagio suas Chiliades.
- 20 Ex mammona iniquo, amicos querere) Mammona vox syra est anthore Hieronymo, quae apud eos idem sonat, quod apud Graecos Plutos, quod Latinis diuitias sonat. August. Matthaei sexto in homelia dicit Hebraeis sonare diuitas: nam & punica lingua, quae Hebraeis vicina est, mammon lucrum sonare asserit. ex iniquo mammona amicos querere, nil aliud est, quod ex re mala sanctos pauperes sibi conciliare.
- Ant tēplum ornent specularibus) specularia sunt fenestrae vitreae, quae lumen admittunt.
- 21 Quod amens ille amator in comœdia seruo mandat) vox est Phœdria in Eunuchō Terentij, Munus, inquit, nostrum ornato verbis quoad poteris.

ANNOTATIONVM LIBRI
primi finis.

ANNO TATIVNCV
LAE IN LIBRVM SECVNDVM.



On aliam causam afferebāt 23
Gracci, non aliam Luc. Ca-
tilina civilis discordiæ) Ves-
leius Paternulus historia Ro-
mana lib. secundo. Et Titus
Livius libro 58. Graccorum
abunde meminerūt: quorum

scripta quantum ad huius notæ declarationem per-
tinet, breuissime perstringemus. Gracci fuere duo, ma-
ior Tiberius, minor dictus est Gaius. Tiberij Gracci
clarissimi & eminentissimi viri filij Publij Scipionis
ex filia nepotes, hæc vocata est Cornelia prudentis-
sima & castissima fœmina: hi Gracci pro tuenda &
promulganda lege agraria, quæ vt ait libro secundo
Livius, nūquam sine maximo reipublicæ tumultu mo-
ta est: summa imis miscuere: eosque lex ipsa in exi-
tium adiecit. vterque enim occisus est: alter à Nasica
Scipione, alter à L. Opimio consule.

Lucius vero Catilina, quem Plutarchus in Poli-
ticiis vocat morbum ac vomicam reipublicæ ad Catu-
lum scribens non dissimilem causam à Graccis suæ
pratexit vesaniæ. Ita enim refert Sallustius, Satis-
factionē ex nulla conscientia de culpa proponere de-
creui. ac subdit post pauca, Publicam miserorum causam
pro mea consuetudine suscepi.

Iam inde à 12. tabulis vetitum) hic noster Vines 24

ANNOTATIVNCVLAE

quem libentissime citamus, in scholijs suis quibus divinum illud Augustini opus de civitate dei illustrissimum simul & lectu facile ac iocundum reddidit libro secundo, cap. 16. ita scribit. Anno trecentesimo ab urbe Roma condita, post multas inter patres & plebem dissensiones tres legati missi sunt in Græciam, iussi leges Solonis describere & mores ac instituta reliquæ Græciæ cognoscere, ut componi status civitatis Romanæ exemplo Græcorum posset: gnaviter negotiâ est à legatis transactum & proximo anno redierunt. creatique sunt decem viri legum ferendarum, qui primum decem tabulas iuris civilis Romani scripserunt, deinde addiderunt duas: approbatæq; sunt omnes comitijs centuriatis (hoc est ut rudius ipse dicam, totius populi suffragijs) atque hæ sunt nobilissimæ leges 12. tabularum, sic ille.

Quibus nihil magis imperatum est, quàm charitas ac nescio an solum) reuera sola charitas præceptorum dei summam implet, in dilectione totius legis cardo vertitur: dilectio, inquit Paulus, malum non operatur: & idem, In dilectione, inquit, tota lex pendet & propheta. CHRISTVS nihil aliud exéplo monstravit, nihil aliud exegit: in hoc. Inquit, cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem: & mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.

25 Ne illa colluviæ ingrediatur senaculum) Senaculum, pro loco ubi senatus convenit, posuit.

26 Petantur ab eis notores) ante hunc locum legite,

IN EVNDEM LIBELLVM.

vt oculis senatus parcatnr non pareatur: id admonui, nam hoc mendum sensum mutaret. Porro cognitores sunt, qui ita aliquem noscunt, vt & alij possint notum facere, omnemq; illius vitam, mores & originem veluti pingere in tabella: hac voce in ludo de morte Claudij Seneca, Claudium loquentem facit ad Herculem: Ego te fortissime deorum Hercules speravi mihi affuturum apud alios: & si quis a me notorem petisset, te eram nominaturus, qui me optime nosti.

Haurire aquam, baiulare, monotrochon trahere) 27
monotrochon, Græca vox est, à monos, quod est vnus & trochos rota, hoc est vnus rotæ currus: qualibus vtimur ad res per urbem conuehendās, parvus currus vulgo dicitur.

Viatores esse) viatores sunt qui ad magistratum homines citant: hos vulgo ciuitatis nuntios dicimus. Linius deca. pri. lib. 2. Tribunus, inquit, plebis misit viatorem ad consulem, ille ad tribunum lictorem frequens est apud bonos authores: significat etiam eum, qui aliquo iter metitur: ita in sequentibus vsus est Vives ipse, In eadem domo, inquiens, detur prandium, aut cœna viatoribus sanis. Apparere magistratui est præsto illi esse, si quid inbeat. Equos agere perpetuarios, hoc est non interrupta vectatione oneragestantes, aut vectores: vtitur non dispari voce Seneca in eo quem ante citauimus ludo de morte Claudij: Tu autem, inquit, qui plura loca calcasti, quam vllus mulio perpetuarius.

Lanificium Armenterij exercent) Armenterium 28
h.j.

ANNOTATIVN CVLAE

oppidum est Flandriae frequēs textoribus pannorum (ad gyrandum quasdam rotulas) sic enim legitur in codice ab ipso Vine correcto: Rotulae illae sunt unde serica fila ad globum voluuntur, vt commodius tendantur in stamine.

29 Tanquam fuci fruētes alienis sudoribus) Plinius nat. hist. li. vndecimo, cap. item 11. Fuci, inquit, sunt sine aculeo, velut imperfectae apes. Serotinus fœtus & quasi seruitia verarum apum: hos pestilentes apibus dicit, quod nihil operantes absumunt aliarum apum industriam: hinc à Vine sumpta metaphora.

30 Velut gentilitio) gentilitia sunt res gentis, hoc est familiae, qualia sunt sacerdotia gentilitia, quae vulgo beneficia de inre patronatus vocantur.

31 Erat hoc olim censoria dignitate apud Romanos, & Areopagitica apud Athenienses prouisum) Censores, vt inquit Varro 4. de lingua Latina, erant ad quorum censionem hoc est arbitrium censeretur populus. Areopagitae vero iudices erant Athenis in pago & vico Martis. Nam, vt inquit diuus Augustinus de ciuitate dei lib. 18. cap. decimo. Areopagus putatur nomen accepisse, quod Mars, qui Graecis ares dicitur, quā homicidij causam diceret indicatibus duodecim dijs in illo pago, sententijs sex deorum absolutus est, & sex damnatus: verum in paribus suffragijs, absolutio damnationi prelatata est. locus hinc dictus Areopagus, quasi Martis pagus. inde Areopagitae, qui praerant etiam moribus ciuitatis, vt declarat Isocrates in Areopagitico.

IN EVNDEM LIBELLVM.

Nihil enim eo tempore non credebatur episcopis. Quam rem Ioannes Chrysostomus quodam in loco refert) etsi fortassis Vines de alio loquitur loco, satis tamē istud potest intelligi ex verbis Chrysostomi in epist. priore ad Timoth. homi. 14. Nam loquens de lotione pedum pauperum: Noli inquit, præfuli pronincia ista tribuere partienda: quasi intelligat omnia solere tribui partienda episcopis, ac subdit ipsa potius ministra: loquitur enim sanctæ viduæ, ne solius impendij, verum obsequij percipias præmium, proprijs ergo manibus tu sulcum sere pietatis.

Iam Hieronymus conqueritur præfides proninciarum) ita scribit ad Nepotianum de vita clericorum: Turpe est ante fores sacerdotis CHRISTI crucifixi & pauperis, & qui cibo quoq; vesceretur alieno, lictores, consulem & milites excubare: indicemq; proninciae melius apud te prandere, quàm in palatio.

Et in funere visceratio) visceratio distributio est carniū, dicamus etiam onorum, hilecū, butyri & similium rerum.

Tum ciuitas ipsa detrahat aliquid publicis sumptibus, velut solennibus epulis, xenijs, lautijs, congiarijs) Solennes epulae, sunt illæ anniuersariae, quæ solent à magistratibus publico nomine exhiberi. Xenia sunt munera, quæ hospitibus mittuntur, à xenos Græca dictione Latinis hospes dicta: quæ vero legatis exterarum gentium, lautia: quæ subditis aut amicis donantur, congiaria dicuntur.

Tum Archefulanū, qui puluino dormientis amici h.ij.

ANNOTATIVNCVLAR

& pauperis) Seneca lib. de benefic. secundo. Archesilaus, inquit, amico pauperi, & paupertatē suam dissimulanti, agro autem, & ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptū ad necessarios vsus, quum clam succurrendum indicasset, puluino eius ignoranti sacculum subiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inueniret potius quā acciperet: hac Seneca.

35 Sicut Terentius dicit imperiti: qui nihil nisi quod ipse faciat recte factum indicet) vox est Mitionis in Adelpbis castigantis Demeæ fratris immodicam seueritatem: Homine, inquit, imperito nunquam quicquam iniustius, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

37 Sed camarinam hanc non attingam) Adagium est natum à palude iuxta urbem eiusdem nominis in Sicilia sita: quæ quum olim pestilentiam fœtore excitasset, consultus Apollo, an præstaret exiccari, iussit non moueri Camarinam: at illi exiccarunt, non obtemperantes oraculo: & per eam cessata quidem pestilentia hostes intrarunt: hinc natum adagium, mouere Camarinam, est malū sibi accersere, vel cœnum contingere admodum fœtidum.

38 In hoc numero præcipui sunt Miltiades, Themistocles, Scipio: sed in primis duo Epaminondas Thebanus, & Q. Fabius Maximus.) Miltiades quum pro parta victoria coronam in senatu peteret, obstitit Sothares, & palam exclamavit: O Miltiades quum solus viceris, solus coronaberis: passus est quoque se

IN EVNDEM LIBELLVM.

accusari & damnari. Valerius Maximus. Themistocles vero postquā navali pugna Xerxem vicit, & patriam atque vniuersam Graciam à Barbarorum imperio liberavit, inuidiæ cessit, & decennali exilio multatus est. Athenienses nihil causæ prætexuerunt, quàm ne gloria fieret elatior. Scipio, vt inquit Linius ingrata patriæ cessit: ex ea facessens, quam totius Africæ dominam fecerat, nihil è tantis victorijs & hostium spolijs, quàm Africani agnomen secum referens. Epaminundas, vt scribit Æmylius Probus, iniurias quæ sibi à suis ciuibz fierent, noluit vlcisci. metuens ne dum inimicos cines persequitur, patriam læderet. nam quid aliud est ciuitas, quàm cines, & respublica, vt inquit ex Varrone diuus Augustinus, quàm res populi?

Quod multorum animi liberabuntur religione) re 39
ligio est quasi percussio quædam, vt ita dicam, conscientiæ: religione liberari, est conscientiam deponere: tam frequens est apud bonos authores, vt abs re putemus quempiam in hanc rem citare.

ANNOTATIONVM SECVN-
di libri finis.

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI, QVOTO FO

lio quodque habeatur.

O Rigo humane necessitatis ac miserie. Fol.	3
Necessitates hominum.	4
Que sit benefaciendi ratio.	5
Quod secundum naturam sit benefacere.	8
Quibus de causis quidā à benefaciendo deterrētur.	9
Quomodo inopibus agendum.	12
Quibus vitijs impediātur à benefaciendo ij, qui pos-	
sunt.	14
Nullas causas debere impedire nos à benefaciēdo.	16
Que unicuique à deo dantur, non propter ipsum da-	
ri solum.	21
Non constare pietatem & Christianismum sine bene-	
ficentia mutua.	23
Quantum & quomodo cuiq; benefaciendum.	27

INDEX CAPITVM LIBRI

secundi.

Q uantopere conveniat rectori civitatis cura-	
re pauperes.	32
Collectio pauperum & professio.	34
Qua ratione eis omnibus prospiciatur victus.	36
Cura puerorum.	39
Censores & censura.	Ibidem

De pecunia, quæ his sumptibus sufficiat.	40
De ijs, qui vel subita aliqua, vel occulta necessitate urgentur.	44
De ijs, qui nonas has constitutiones improbavunt.	45
Nihil debere obistere quo minus hæc quæ diximus fi- ant.	48
Commoda, si hæc fiant, humana & divina.	49

F I N I S.

